

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR



JO. DANIELIS SCHOEPFLINI

CONSIL. REG. ET FRANCIÆ HISTORIOGR.

VINDICIAE CELTICAE



ARGENTORATI

Apud AMAND. KÖNIG, Bibliopol.

M D CC LIV.



PRÆFATIO.



Alsatia Illustratæ Tomus alter, qui civilem ejus Hiſtoriam abſolvit, ſub prelo dum ſudat, *Vindicias Celticas*, quas priore (a) promiſi, in lucem emitto. Populus, qui rerum geſtarum nominiſque fama veterem orbem replevit, qui

(a) Tom. I. pag. 120. ubi res brevius examinata, nunc prodit uberior & teſtimoniis firmatur.

qui orientis regibus, ſeptentrionalibus & occiduis populis, ipſi denique Romæ fuit fatalis, meretur profecto, ut in originem ejus inquiratur & patriam. Celtarum (b) incunabula pridem inveſtigarunt Geographi, at parum proſpero ſucceſſu. Inveſtigando enim in tam diverſas ſunt diſtracti ſententias, ut ipſo examine res deveniret obſcurior. Diverſitatis opinionum cauſa eſt ipſa gentis & coloniarum ejus, per Europæ & Aſiæ regiones, antiquiſſimo ævo jam diffuſarum, celebritas, qua factum, ut primaria ejus ſede neglecta, plerique in coloniis, ex indigena populo, (c) ceu ver ſacrum, egreſſis, ejus origines quærerent, filiamque adeo cum matre confunderent. Sunt, qui a Phrygi-

(b) Gallia hodieque ab Hibernis dicitur *Galta*.

(c) Indigena populus dicitur, qui in ſua ſemper ſubſtitit ſede, cujusque in regionem ignoratur adventus; Αὐτόχθονες Græcis, diſtincti ab advenis.

Phrygibus, (d) regno Trojanorum destructo; sunt, qui a Ponto Euxino; (e) sunt, qui ex Græcia Celtas in Galliam inducerent, cum inverso ordine Celtas ex Gallia in remotas illas regiones inducere debuissent colonos. Nonnulli apud Hyperboreos; alii in maxima Europæ parte, quidam in Germania & Gallia Celtarum patriam quærunt; (f) alii denique a Celtici communione nominis plane Gallos excludunt.

Errores,

(d) Ita WACHTERUS in Glossarii Germ. Præfat. num. 25. & AMMIANI MARCELLINI Lib. XV. cap. 9. testimonio usus; qui tamen eo ipso in loco Græcos fugientes, post excidium Trojæ, Galliam occupasse ait; de Phrygibus advenis nihil commemorans.

(e) DUNOD Hist. des Sequanois Tom. I. pag. 2. 26. 86.

(f) De regno Celtico multa, sed confuse, REINERUS REINECCIUS, in *Historia Julia* Part. II. p. 207. ubi nomen hoc tamen ad Germanos Gallosque restringit. Postremum *de Celtis* opus est, quod Vir, doctrina & ingenio apud Berolinenses etiamnum florens, SIMON PELLOUTIERIUS, Gallico sermone in lucem emisit.

Errores, in tractando hoc argumento commissos, junioribus Geographis eo promptius condonamus, quod ipsi inter se veteres super eo discordant, Celticasque adeo jam turbarunt origines: Græci præsertim, rerum occidentis, & speciatim Gallicarum, tam parum periti, ut FLAVIUS JOSEPHUS, (g) Vespasianorum ævo scribens, Historicos de Gallia atque Hispania nihil fere veri prodidisse fateatur.

Remedium tamen quærendum est malo; sed in ipsa quærendum mali radice. Græci, discordiæ auctores, examinandi sunt funditus, verusque singulorum æstimandus valor. Unanimes autem cum inter se sint scriptores Latini, dispiciendum, cujus ponderis sint Græci, qui cum Latinis concordant. Quodsi exa-

(g) Contra APPIONEM Lib. I. edit. Haverc. Tom. II. pag. 444.

examine facto reperias, Græcorum gravissimos, fide & auctoritate digniores, adhærere Latinis, in Critico foro, testium idoneorum ratione, res judicata videtur.

Hanc ego in argumento tam dubio mihi normam proposui. Quidquid Græca & Latina antiquitas de Celtis reliquit, id ipsis ex fontibus erui, eruta comparavi, comparata discussi; omnem caussæ istius doctrinam repetiturus ab ovo; quod ex canonis hujus neglectu diversitatem opinionum provenisse intellexi. Plerisque, qui Celticas tractarunt origines, evenit, ut ambiguam antiqui cujusdam Græci testimonium pro fundamento substernerent, quod lucidioribus aliorum, fide potiorum, testimoniis haud difficulter evertitur, habendumque pro nullo.

Ex omnibus his veterum documentis, quæ elicienda ſententia ſit, judicet Lector. Singulis in Republica literata Senatoribus liberum eſt, ſuam proferre. Erunt fortaſſis, qui cauſa examinata ſentient, Galliam ſolam ſolum natale proprium extitiſſe Celtarum.



CON-

CONSPECTUS OPERIS.

B. Germanis, inquiritur iterum
- a) in Græcos, & de
  - (a) Herodoto negatur §. 16. ut & de
  - (b) Ariſtotele ibid.
  - (c) Polybio §. 17.
  - (d) Diodoro Siculo ibid.
  - (e) Dionyſio Halicarnaſſenſi ibid.
  - (f) Strabone ibid.
  - (g) Dionyſio Periegete ibid.
  - (h) Plutarcho §. 18. 19. 20.
  - (i) Arriano dubitatur §. 21.
  - (k) Appiano affirmatur ibid. ac
  - (l) Pauſania §. 22.
  - (m) Ptolemæo negatur ibid. &
  - (n) Athenæo §. 23.
  - (o) Dione Caſſio affirmatur ibid.
  - (p) Stephano Byzantino negatur ibid.
  - (q) Suida affirmatur ibid.
- b) in Latinos, & de omnibus negatur §. 24.

C. aliis etiam nationibus, præter Gallos & Germanos, ubi quidem
- a) id negatur de
  - (a) Latinis omnibus §. 25.
  - (b) Græcis ſcriptoribus omnibus §. 25-28.
- b) reſpondetur objectionibus ex
  - (a) Plinio §. 29-31.
  - (b) Dionyſio Halicarnaſſenſi §. 32.
  - (c) Strabone §. 33. 34.
  - (d) Plutarcho §. 35.
  - (e) Ptolemæo §. 35. 36.

β) litis quoad hanc partem deciſio, ubi cauſa cadunt, qui nomen Celtarum tribuunt
- a. omnibus Europæis, §. 37.
- b. maximæ Europæorum parti, ibid.
- c. primario Germanis, ſecundario Gallis ibid.

IIo. Ex

II°. Ex comparatione auctoritatis veterum scriptorum, quibuscum conveniunt, & a quibus dissentiunt, ubi fit
(1) veterum comparatio; & examinatur auctoritas eorum
a. qui nomen Celtarum solis Gallis §. 38.
b. qui illud Germanis quoque tribuunt, §. 39. 40.
(2) causæ conclusio, quæ
a. pronuntiatur contra illos, qui præter Gallos nomen Celtarum Germanis quoque dant §. 41.
b. illustratur
a) responsionibus ad objectiones Speneri §. 41-47.
b) disquisitione de nomine Celtico, triplici significatione quondam Gallis dato §. 48.
c) erroris recentiorum, veterumque scriptorum origine ostenso §. 49.

Coloniæ transierunt

I. Pyrenæos montes, in Hispaniam, ubi
1. Celtiberi §. 49.
2. Verones ibid.
3. Celtici ibid.
1) intra Bætim & Anam ibid.
2) in Lusitania ibid.
3) circa promontorium Artabrum ibid.
4. Carpetani ibid.
II. Oceanum, in Britanniam, ubi omnes incolæ a Celtis orti §. 50.
III. Alpes, in Italiam, Bellovesiana, A.V.C. 163. ubi §. 51. 52.
1. trans Padum
1) Lai,
2) Lebecii,
3) Insubres,
4) Cenomani,
5) Salluvii,
6) Veneti.
2. cis Padum
1) Olanianes,
2) Boji,
3) Aegones sive Lingones,
4) Senones.

 IV. Rhe-

IV. Rhenum, ubi
1. colonia Sigovesiana A. V. C. 163. §. 53. cujus
1) populi
(1) in Germania
a. Helvetii §. 54.
b. Boji §. 55.
c. Tectosages §. 56.
d. Gothini ibid.
e. Aestyi ibid.
(2) circa sinus Illyricos, ante nat. Chr. 589.
a. Carni §. 57.
b. Japydes ibid.
c. Taurisci ibid.
2) colonia filia, a Cambaule ducta §. 59.
(1) populi
a. in Pannonia, Tectosagi §. 60.
b. inter Illyricum & Thraciam
a) Scordisci §. 61.
b) Taurisci, quibus se Boji ex Italia miscuerunt A. V. C. 562. §. 62.
(2) coloniæ novæ filiæ §. 63.
a. Belgiana §. 64.
b. Brenniana A. V. C. 474. ibid.
c. a Cerethrio vel Lomnorio & Lutario in Thraciam ducta §. 65. quæ transiit partim
a) in Asiam minorem, ubi regnum Galatiæ erexerunt ante Chr. nat. 377. §. 66. seq.
(a) Trocmi,
(b) Tectosages,
(c) Tolistoboji seu Tolistobogi,
b) in Scythiam, unde Celtoscythæ §. 68.
2. colonia in Decumatibus agris ævo Augustæo §. 69.



VINDI-



VINDICIÆ CELTICÆ.

§. I.



Eltarum nomen nec Latinæ nec Græcæ originis est. Indigenam Galliæ vocem ipse CÆSAR, (a) Gallicis bellis per tot annos agitatus, testatur : " Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui *ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli* appellantur." Cum Cæsare PAUSANIAS consentit in Atticis: (b) Οἱ Γαλάται νέμονται τῆς Εὐρώπης τὰ ἔσχατα ἐπὶ θαλάσσῃ πολλῇ, καὶ ἐς τὰ πέρατα οὐ πλοΐμῳ. Ὀψὲ δέ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε. Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο. "Galli in extremis Europæ oris ad vastum mare accolunt, cujus fines adiri posse navibus negant. Verum ut Galli appellarentur, nonnisi sero usus obtinuit. *Celtas enim cum ipsi se antiquitus, tum alii eos nominarunt.*" APPIANUS similiter nomen Celtarum vetus

Celtæ, vox gallica.

(a) Bell. Gall. Lib. 1. Cap. 1. (b) Lib. 1. Cap. 3. p. 10. Edit. Kuhn.

tus & a Romana lingua diversum esse tradit in præfat: αὕτη τε Ἰταλία μακροτάτη δὴ πάντων ἐθνῶν οὖσα, καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰονίου παρήκουσα ἐπὶ πλεῖστον τῆς Τυῤῥηνικῆς θαλάσσης, μέχρι Κελτῶν, οὓς αὐτοὶ (scil. Romani) Γαλάτας προσαγορεύουσι. "Ipsa Italia longissimo protensa „ spatio ab Jonio mari præter Tyrrhenicum tendens us- „ que ad *Celtas, quos ipsi (sc. Romani) Galatas cognominant.* Item: (c) Κελτοὶ, ὅσοι Γαλάται τε καὶ Γάλλοι νῦν προσαγορεύονται. *Celtæ*; „ *qui* Galatæ, & *Galli nunc* cognominantur." STRABO (d) Græcos nomen Celtis non ipsos dedisse, sed in Narbonensi primum provincia deprehendisse, & dein ad omnes Gallos extendisse refert: Ταῦτα μὲν ὑπὲρ τῶν νεμομένων τὴν Ναρβωνῖτιν ἐπικράτειαν λέγομεν, οὓς οἱ πρότερον Κέλτας ὠνόμαζον· ἀπὸ τούτων δ' οἶμαι καὶ τοὺς σύμπαντας Γαλάτας Κελτοὺς ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων προσαγορευθῆναι, διὰ τὴν ἐπιφάνειαν· ἢ καὶ προσλαβόντων πρὸς τοῦτο καὶ τῶν Μασσαλιωτῶν διὰ τὸ πλησιόχωρον. "Hæc quidem de illis dicimus, qui Narbonen- „ sem provinciam incolunt, quos antiqui Celtas nomina- „ bant: & arbitror ab his esse a Græcis nomen Celtarum „ universis Gallis inditum ob gentis claritatem, vel Mas- „ siliensibus ob vicinitatem ad id aliquid momenti con- „ ferentibus."

§. II.

Etymologia.

Etymologia vocis Celtarum ejusque in patria lingua significatus definiri vix potest. AMMIANUS MARCELLINUS, (e) ex Timagene, græco scriptore, sua proferens, Celtas nomen suum a rege quodam, quem maxime diligebant, accepisse & ex matris ejus nomine Galatas dictos esse tradit: "Aborigines primos in his regionibus quidam „ visos esse firmarunt, Celtas nomine regis amabilis, & „ matris ejus vocabulo Galatas dictos: ita enim Gallos „ sermo Græcus appellat. APPIANUS (f) nomen Celtarum

(c) Bell. Hispan. pag. 421. sq. edit. Tollian.
(d) Lib. IV. p. 288. Edit. Almelov.
(e) Lib. XV. Cap. 23. (f) Bell. Illyr. p. 1194.

tarum a Celto, Polyphemi Cyclopis filio, deducit, qui una cum Illyrio & Gala fratribus ex Sicilia profectus imperio potitus sit in populos, ab ipso postea Celtos dictos. Illi vero falluntur oppido, qui vocem hanc, uti vidimus, indigenam ex Græca lingua & a voce κέλης, quæ celerem denotat, derivare conantur. (g) MEZERÆUS in Histor. Galliæ ante Clodovæum (h) eam a Celtico *Gal* sive *Gault*, silvam denotante, derivat, quod Celtica Gallia fuerit plena silvarum. CAMDENUS in Britannia (i) veterem dictionem *Gualt* Britannis *Comam*, & *Gualtor* Comatam denotasse observat. Britannica & Gallica Linguæ nonnisi dialecto differebant. Gallos autem fuisse Comatos res notissima est. Plures vocis *Celtæ* etymologias, quas inter nonnullæ risu excipiendæ, affert WACHTERUS. (k) Bene in eam rem MARCUS VELSERUS: (l) "Celticam,, vocem Cæsar indigenam esse pronuntiavit : inde tot ejus,, notationes atque explicationes haud ita dudum exortæ,, sunt; quot hominibus otio juxta & ingenio abutentibus,, vacavit excogitare. Earum ut una aliqua vera sit, fieri,, fortasse potest; ut certa, ut comperta nobis habeatur,,, fieri, quantum video, vix potest.,, Ceterum vocabulum *Galli*, usitatum Romanis, nonnisi diversa enunciatio vocis, *Guelt*, *Kelt*, extitisse videtur. Romani mollius eam pronuntiarunt, quam Galli.

§. III.

Sed jam propius ad rem ipsam progredimur, examinaturi, quosnam populos primario designaverit nomen Celtarum. Sententiæ juniorum.

(g) Bodinus Method. Hist. p. 356. & de Republica Lib. 3. pag. 353.
(h) Lib. 1. p. 7.
(i) pag. 23.
(k) Glossar. Germ. voce *Celtæ*.
(l) Rer. Boicar. Lib. 1.

tarum. Juniorum, qui de Celtis egerunt, mire variant ſententiæ, quæ ad quatuor has claſſes poſſunt referri.

Sunt 1°. qui omnes Europæas gentes communi Celtarum nomine olim comprehenſas exiſtimant, ut ABRAH. ORTELIUS, qui Tabulam ſuam Europæ *Celticam* vocat. JOANNES HARDUINUS, (a) FRIDERICUS HOFMANNUS, (b) Doctiſſ. PELLOUTIERIUS, (c) aliique.

Sunt 2°. qui maximam Europæ partem, uti PEZRONIUS, (d) MARCUSQUE VELSERUS; (e) vel præcipuos ſaltem populos ejus Hiſpanos nimirum, Gallos, Britannos, Germanos atque Illyrios Celtarum nomine deſignatos crediderunt; qua in ſententia CLUVERIUS (f) perſtitit, Italiam, regiones trans Viſtulam, cæteraſque Orientales nationes excludens. Pertinent huc quoque JOSEPHUS SCALIGER, (g) PETRUS BERTIUS, (h) JODOCUS COCCIUS, (i) HENRICUS COCCEJUS, (k) JAC. CAR. SPENERUS, (l) MEZERÆUS, (m) GEDOYNUS, (n) atque CAROLUS LE GENDRE. (o)

Sunt

(a) Not. ad Plin. Hiſt. Nat. Lib. VI. Cap. 13. Not. 13.
(b) Lex. Hiſtor. voce *Celtæ*.
(c) Hiſtoire de Celtes Lib. 1. c. 3.
(d) Antiquité des Celtes p. 192.
(e) Rer. Boicar. Lib. 1. pag. 2.
(f) German. Antiq. Lib. 1. Cap. 2. p. 24.
(g) Epiſtolar. Lib. 3. Ep. 276.
(h) Commentar. Rer. Germ. Lib. 1. Cap. 1. pag. 9.
(i) Orat. Inaug. Molsheim. Acad.
(k) Juris Publ. Prud. in Proleg. pag. 6.
(l) Notitia Germ. vet. Lib. 3. Cap. 4. p. 121. Not. n.
(m) Hiſt. de France avant Clovis p. 4.
(n) Memoires de l'Acad. des Inſcript. T. 8. p. 117.
(o) Antiquité de la Nation & de la Monarchie Françoiſe, pag. 210. ſq.

Sunt 3°. qui ad Germanos tantum & Gallos Celticum nomen restringunt, ut RAPHAEL VOLATERRANUS, (p) HENRICUS GLAREANUS, (q) ULRICUS OBRECHTUS, (r) JOHANNES SCHILTERUS, (s) GOD. GUIL. LEIBNITIUS, (t) & Illustriss. HENRICUS COMES DE BÜNAU. (u)

Sunt 4°. denique, qui ad Germanos solos Celtarum nominis significationem pertinuisse, atque adeo nonnisi secundario ad Gallos translatum fuisse, contendunt. Ita CHRISTOPH. BROWERUS, (w) DAN. GE. MORHOFIUS, (x) qui Germanos Belgarum Celtarumque parentes constituit; JACOB. CAROL. SPENERUS, (y) qui antea cum Cluverio etiam contenderat, Celticum vocabulum primis temporibus omnes ad occidentem Europæ nationes esse complexum. Rever. AUGUSTINUS CALMETUS (z) Gallos à Cimbris & Germanis derivat.

§. IV.

Celticum nomen pridem extinctum est; in veteri modo notum historia; quæ quid per Celtas denotaverit, inter

(p) Geograph. Lib. 3. ineunte.
(q) Commentar. de vetustis Germ. populis apud SCHARDIUM Tom. 1. p. 71. sq.
(r) Prodrom. Rer. Alsat. p. 2. & in Dissert. de Philosoph. Celt. §. 11.
(s) Glossar. Teut. & in Observatione 1. ad Chron. Kœnigsh. §. 8.
(t) Collectan. Etymolog. Part. 2. p. 57. & in Scriptor. Rer. Brunsvic. tom. 1. p. 8. not. a.
(u) Histor. Germ. tom. 1. p. 630.
(w) Annal. Trevir. Proparasceve pag. 15.
(x) *Unterricht von der Teutschen Sprach.* Cap. 2. pag. 30.
(y) Notitia Germ. vet. Loco jam alleg.
(z) In Comment. Genes. cap. 10. pag. 230.

ter Eruditos disquiritur, atque adeo in omni hac re tantum Antiquitatis ratio habetur.

Galli a veteribus nominantur Celtæ.

Ex hac ergo veteres tam Latinos, quam Græcos si depromas scriptores, quotquot eorum Celtas describunt, nomen Celtarum Gallis tribuere, invenies; & quidem vel illis, qui Alpibus, Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus & mediterraneo mari cinguntur, & Galli transalpini a Romanis vocati sunt: vel iis, qui circa Padum in superiore Italia habitaverunt, & Gallorum Cis-alpinorum nomine a Romanis appellari sueverunt. Quin & terram, à Cis-& Trans-Alpinis Gallis possessam, iidem Scriptores subinde *Celticam* nominant.

Herodotus

Ex græcis primus occurrit HERODÓTUS, qui in obscura tum adhuc Græcorum de populis remotis, eorumque situ notitia Celtas tamen in Gallia transalpina, nisi omnes conjecturæ fallunt, ponere videtur. Refert enim eos cis columnas Herculeas habitare: refert finitimos eos esse Cynesiis, qui in Europa ultimi ad solis occasum sedes habeant: refert denique ex illis & quidem ex urbe Pyrene Istrum fluvium oriri. Sic enim in Euterpe: (a) Ἴστρος ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυῤῥήνης πόλιος ῥέει μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην. οἱ δὲ Κελτοὶ εἰσὶ ἔξω Ἡρακληΐων στηλέων· ὁμουρέουσι δὲ Κυνησίοισι, οἳ ἔσχατοι πρὸς δυσμέων οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένων. τελευτᾷ δὲ ὁ Ἴστρος ἐς θάλασσαν ῥέων τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου διὰ πάσης Εὐρώπης. "Ister fluere incipiens a Celtis & urbe Pyrene, (Celtæ autem sunt extra „ cippos Herculis, Cynesiis finitimi, omnium in Europa ad „ occasum habitantium ultimis) mediam Europam scindit, „ totamque permensus in mare Euxinum effunditur.„ Et in Melpomene: (b) ῥέει διὰ πάσης τῆς Εὐρώπης ὁ Ἴστρος, ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν, οἳ ἔσχατοι πρὸς ἡλίου δυσμέων μετὰ Κύνητας οἰκέουσι τῶν ἐν Εὐρώπῃ, ῥέων δὲ διὰ

(a) Lib. 2. p. 102. edit. Londin. a. 1679. (b) Libr. IV. p. 240.

δὲ διὰ πάσης τῆς Εὐρώπης ἐς τὰ πλάγια τῆς Σκυθίης ἐσβάλλει. "Omnem Europam Ister emetitur (sumto ex Celtis initio, qui omnium in Europa ad solis occasum extremi sunt post Cynetas) totamque permensus Europam ex transverso ingreditur Scythiam." Plures sunt in hoc loco Herodoti nævi: ex montibus Pyrenæis urbem ille facit, & Istrum in eis oriri tradit, eujus tamen fontes inde procul remoti sunt: sed cum Celtas in extremis fere Europæ, ad occasum sitæ, oris collocet, & Pyrenen ipsam in Celtis ponat, id certe ex eo inferimus, quod per Celtas Gallos intelligat, quorum nempe limitem versus occidentem Pyrenæos montes fuisse constat, & quos, post Hispanos, ultimos fuisse Europæorum, qui ad occasum habitant, Herodotus in debili Geographiæ temporum suorum notitia indicat.

§. V.

ARISTOTELES, qui inter Græcos secundus nobis considerandus occurrit, ex ipso Herodoto ea, quæ in Meteorologicis (a) tradit, sumsisse videtur, correcto tamen paulisper errore ejus: ita enim ibi: ἐκ δὲ τῆς Πυρήνης (τοῦτο δ' ἐστιν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ) ῥέουσιν ὅ, τε Ἴστρος καὶ ὁ Ταρτησσός. "Ex *Pyrenæo* autem (hic *mons* est *Celticæ æquinoctialem occasum spectans*) Ister & Tartessus defluunt." Deceptus est hic sine dubio cum Herodoto Aristoteles, quod ipse quoque Istrum ex Pyrenæis montibus oriri credat: sed in eo tamen accuratior est, quod Pyrenen montem esse tradat, cum Herodotus urbem esse crediderit: distinctius etiam Herodoti mentem de Celtis, in quibus Pyrene sita sit, explicat, cum Pyrenen montem ad occasum Celticæ positum asserat, Galliamque adeo sub Celtica intelligendam esse ostendat; cujus Aristoteles.

(a) Lib. I. Cap. 13. Tom. I. Opp. p. 768. edit. Vallian.

jus limes occidentalis a remotiſſimis ſæculis Pyrenæi montes habiti ſunt. Sed & aliis in locis per Celtas, Gallos, & per Celticam, Galliam Ariſtoteles deſignat. In Hiſtoria animalium (b) ſcribit: ἐν τῇ Ἰλλυρίδι καὶ τῇ Θρᾴκῃ καὶ τῇ Ἠπείρῳ οἱ ὄνοι μικροί, ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίνονται. δυσχείμερα γὰρ ταῦτα. "In Illyrico, Thracia & Epiro aſini ſunt „parvi: in Scythia, & *Celtica* ſunt plane nulli ob magnum „regionum harum frigus.„ Nam quod Κελτικὴ Ariſtoteli hic Galliam ſignificet, clare patet ex loco vere parallelo, ubi Celtas Hiſpanis eſſe finitimos tradit: (c) ἔτι δὲ ψυχρὸν τὸ ζῷον ὁ ὄνος ἐστί, διόπερ ἐν τοῖς χειμερινοῖς οὐ θέλει γίνεσθαι τόποις, διὰ τὸ δύσριγον εἶναι τὴν φύσιν, οἷον περὶ Σκύθας καὶ τὴν ὅμορον χώραν, οὐδὲ περὶ Κελτοὺς τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἰβηρίας. ψυχρὰ γὰρ καὶ αὕτη ἡ χώρα. "Ad hæc frigi„dum animal aſinus eſt, quam ob rem locis frigidis gigni „non poteſt: utpote ſua natura impatiens frigoris, velut „apud Scythas & eorum finitimos. Nec apud *Celtas*, *qui* „*ſupra Hiſpaniam colunt*, genus id animalis eſt: nam ea „quoque provincia frigida eſt.„ (d) Sic Albionem & Hiberniam inſulas Britannicas, e regione Galliæ, ut notum eſt, poſitas, ſupra τοὺς Κελτοὺς (Celtas) collocat. (e) In libro de Mirabil. Auſcultat. (f) ubi mentionem facit Κελτολιγύων, (Celtoligurum) ait: ἐκ τῆς Ἰταλίας φασὶν ἕως τῆς Κελτικῆς καὶ Κελτολιγύων εἶναί τινα ὁδὸν Ἡρακλείαν καλουμένην. "Ex Italia ferunt viam uſque

(b) Lib. 8. Cap. 28. (c) Libr. II. de generat. animal. cap. 8. p. 639.

(d) Error CLUVERII in Germania antiqua Libr. I. cap. 2. p. 24. edit. 1616. qui ARISTOTELEM Libr. VIII. de Hiſtoria animalium cap. 28. loc. citato per Κελτικὴν Germaniam deſignaſſe putat: ſcilicet locum parallelum Libr. II. de Generat. animalium, quem hic allegavimus, non evolvit, & hinc in eam incidit ſcyllam, in quam cadere ſolent, qui in diſquiſitione alicujus controverſiæ unum modo locum ſcriptoris terunt & ex eo, quanquam dubio ſæpe & maxime ambiguo, certam in lite ſententiam ferunt.

(e) Libro de Mundo Tom. 1. p. 850. (f) Tom. 2. p. 724.

usque ad Celticam, Celtoligures & Hispanos protendi. „ Heracleam vocant. „ Sub his Celtoliguribus autem a Græcis Ligures, circa Massiliam in Gallia transalpina habitantes, vocatos esse, testatur STRABO, (a) optimus huius rei testis. Ita enim hic: ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμένος ὅρμος ἐστὶν οὐ μεγάλαις οὐδὲ πολλαῖς ναυσὶν, -- διέχει δ' Ἀντιπόλεως μικρῷ πλείους ἢ διακοσίους σταδίους· τοὐντεῦθεν δ' ἤδη μέχρι Μασσαλίας καὶ μικρὸν προσωτέρω τὸ τῶν Σαλύων ἔθνος οἰκεῖ τὰς Ἄλπεις τὰς ὑπερκειμένας, καί τινας τῆς αὐτῆς παραλίας ἀναμὶξ τοῖς Ἕλλησι. Καλοῦσι δὲ τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων λίγυας, καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται Λιγυστικὴν, οἱ δ' ὕστερον Κελτολίγυας ὀνομάζουσι, καὶ τὴν μέχρι Λουερίωνος καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ πεδιάδα τούτοις προσνέμουσι. -- Πρώτους δ' ἐχειρώσαντο Ῥωμαῖοι τούτους τῶν ὑπεραλπείων Κελτῶν. "Portus Monœci neque magnas, neque multas capit naves; -- distat ab Antipoli paulo amplius cc. stadiis; inde jam ad Massiliam usque atque nonnihil ulterius Salyes habitant oræ maritimæ imminentes Alpes, partemque littoris, permixti Græcis: hos antiqui Græcorum Ligures vocarunt, & regionem, quam tenent Massilienses, Ligusticam: posteriores Celtoligures eos dixerunt: campestremque iis regionem omnem usque ad Luerionem & Rhodanum assignarunt: -- Primos omnium transalpinorum Celtarum hos domuerunt Romani." Quæ omnia sunt indicio, Aristotelem quoque nomen Celtarum incolis Galliæ tribuere.

§. VI.

Aristotelem excipit POLYBIUS, qui per Κελτοὺς Gallos tam Cis- quam Transalpinos intelligit. De Cis-alpinis scribit: (b) εὐθέως ἐξήνεγκαν τὸν πρὸς τοὺς κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κελτοὺς πόλεμον, (sc. οἱ Ῥωμαῖοι) "Romani extemplo adversus Celtas Polybius.

(a) Geogr. Lib. IV. p. 310. sq.
(b) Histor. Lib. 2. tom. 1. p. 141. edit. Gronov.

„ tas in Italia bellum ſuſcepere.„ Et iterum: (*) Οἱ Κελτοὶ -- ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνὺς, καὶ κατέχον αὐτοὶ τὰ πεδία. "Celtæ Etruſcos ex regione Circumpadana ejiciunt, atque „ ipſi planitiem illam occupant.„ Galli transalpini Κελτοὶ vocantur: (c) Ἀπὸ δὲ τῦ Νάρβωνος καὶ τὰ περὶ τῦτον Κελτοὶ νέμοντας, μέχρι τῶν προσαγορευομένων Πυρηναίων ὀρῶν. "Narboni vicina Celtæ „ habitant, & inde ad montes, quos Pyrenæos dicunt.„ Alio in loco: (d) ἐκεκρατήκεισαν (ſc. οἱ Καρχηδόνιοι) τῆς Ἰβηρίας ἁπάσης ἕως τῆς ῥαχίας, ὃ πέρας ἐςὶ πρὸς τῇ καθ' ἡμᾶς θαλάττῃ τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, ἃ διορίζει τὺς Ἴβηρας καὶ Κελτὺς. "Carthaginenſes omnem oram Hi- „ ſpaniæ ſubegerant uſque ad illos ſcopulos, in quibus de- „ ſinunt ad mare noſtrum *Pyrenæi montes, quibus Hiſpani* „ *& Celtæ invicem ſeparantur.* „

Diodorus Siculus. Polybium DIODORUS SICULUS (e) excipit, qui ſub Celtis clare Gallos deſignat: Transalpinos primum, cum populos intra Pyrenæos montes & Alpes medios Celtas vocari aſſerit: τὺς ὑπὲρ Μασσαλίας κατοικῦντας ἐν τῷ μεσογείῳ, καὶ τὺς περὶ τὰς Ἄλπεις, ἔτι δὲ τὺς ἐπὶ τάδε τῶν Πυρηναίων ὀρῶν Κελτὺς ὀνομάζυσι. "Qui interiora ſupra Maſſyliam tenent, & qui circum „ Alpes ac cis Pyrenæos montes habitant, hos Celtas no- „ minant.„ Alio loco (f) Aleſiam, Galliæ urbem, cujus tam celebrata in Commentariis CÆSARIS (g) obſidio eſt, urbem *Celticæ* vocat, quæ una cum cæteris Celtis per C. Cæſarem Romano imperio ſubjecta ſit. Ita enim ibi: ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς τῶν μὲν Ἰβήρων παρέδωκε τὴν βασιλείαν τοῖς ἀρίστοις τῶν ἐγχωρίων, αὐτὸς δ' ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν καὶ καταντήσας εἰς τὴν Κελτικὴν -- ἔκτισε πόλιν εὐμεγέθη, τὴν ὀνομαζομένην ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης Ἀλησίαν. -- οἱ δὲ Κελτοὶ μέχρι τῶνδε τῶν καιρῶν ἐτίμων ταύτην τὴν πόλιν, ὡς ἁπάσης τῆς Κελτικῆς οὖσαν ἑστίαν, καὶ μητρόπολιν. διέμεινε δ' αὕτη πάντα τὸν ἀφ' Ἡρακλέους χρόνον ἐλευθέρα καὶ ἀπόρθητος, μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, τὸ δὲ τελευταῖον ὑπὸ

(*) Ibid. p. 147. (c) Lib. III. p. 265. (d) p. 267. (e) Lib. V. Cap. 32. p. 308. edit. Wechel. (f) Lib. IV. cap. 19. p. 226. ſq. (g) Lib. VII. cap. 68. ſqq.

ὑπὸ Γαΐου Καίσαρος τοῦ διὰ τὸ μέγεθος τῶν πράξεων θεοῦ προσαγορευθέντος, ἐκ βίας ἁλοῦσα, συνηναγκάσθη μετὰ τῶν ἄλλων Κελτῶν ὑποταγῆναι Ῥωμαίοις. "Hercules Iberiæ regnum viris inter populares optimis tra-„ didit, ipſe vero cum exercitu in Celticam profectus, - - præ-„ claræ urbem magnitudinis extruxit, quam a militiæ ſuæ„ errore Aleſiam nuncupavit. - - Hæc urbs uſque ad hodierna„ tempora in præcipuo Celtis erat honore, quippe prima-„ ria totius Celticæ ſedes, urbiumque mater. Et per omnes„ ab Hercule ætates libertatem defendit, nec unquam„ capta eſt ad hoc uſque tempus, ubi tandem a Cæſare,„ qui ob rerum geſtarum magnitudinem divus appellatur,„ vi expugnata Romanorum poteſtatem cum cæteris Cel-„ tis ſubire coacta eſt.„

§. VII.

Dionyſius Halicarnaſſenſis.

DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, (h) quem quinto loco producimus, voce Celtarum Gallos quoque denotat; quum centum & viginti poſt regifugium annis Celtas Roma potitos eſſe refert: ἡ Κελτῶν ἔφοδος, καθ᾽ ἣν ἡ Ῥωμαίων πόλις ἑάλω, συμφωνεῖται σχεδὸν ὑπὸ πάντων ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυργίωνος γενέσθαι κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης καὶ ἐνενηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ὁ δὲ πρὸ τῆς καταλήψεως χρόνος ἀναγόμενος εἰς Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον, καὶ Λεύκιον Ταρκύνιον Κολλατῖνον τοὺς πρώτους ὑπατεύσαντας ἐν Ῥώμῃ μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν βασιλέων ἔτη περιείληφεν εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατόν. "Celtarum expedi-„ tio, qua Romanorum urbs capta eſt, ab omnibus fere„ ſcriptoribus dicitur contigiſſe Archonte Athenis Pyrgio-„ ne circiter primum annum nonageſimæ octavæ Olympia-„ dis. Tempus vero, quod urbis expugnationem præceſ-„ ſit, ſi reducatur ad Lucium Junium Brutum & Lucium„ Tarquinium Collatinum, qui Romæ Conſulatum primi„ geſſerunt, poſt ſublatum regium dominatum centum &„ viginti

(h) Antiquit. Rom. Lib. I.

„ viginti annos complectitur. „ Gentem vero hanc Gallos appellant FLORUS, (i) LIVIUS (k) & STRABO, (l) qui ex Gallia transalpina eos aperte deducit. Sic etiam Dionysius Halicarnassensis (m) Tyrrhenos sedibus suis a Celtis pulsos esse asserit: Κύμην τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν Τυῤῥηνῶν οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες, ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ -- ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν. "Cumas Græcam urbem in „ Opicis Tyrrheni, qui circa Jonium sinum habitabant, „ & postea temporis a Celtis inde pulsi sunt, evertere co„ nati sunt. „ Tyrrhenos autem a Gallis sede sua ejectos fuisse, POLYBIUS, (n) DIODORUS SICULUS, (o) PLUTARCHUS (p) referunt, idque vel ex eo clarum esse dubitantibus potest; quod universa illa ora a novis illis advenis Gallia cisalpina vocata sit, prout idem PLUTARCHUS (q) & APPIANUS (r) testantur. Ipsam denique Galliam transalpinam κελτικὴν, Celticam, vocat DIONYSIUS, (s) ubi Ligures partim in Italia, partim in Celtica sedes habere scribit: οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῆ, νέμονται δέ τινα καὶ τῆς Κελτικῆς. "Ligures multas „ Italiæ partes habitant; Celticæ etiam quasdam inco„ lunt. „ De Gallia cisalpina hæc explicari non possunt, cum hanc Dionysius sub Italia manifeste complectatur, quando se per Italiam omnem oram, Jonio & Tyrrhenico maribus & triplicibus Alpibus clausam, significare ait: (t) Ἰταλίαν δὲ καλῶ τὴν ἀκτὴν σύμπασαν, ὅσην ὁ Ἰόνιός τε κόλπος καὶ Τυῤῥηνικὸς, καὶ τρίται περιέχουσιν ἐκ γῆς Ἄλπεις. "Italiam voco totam illam „ oram, quam Jonius & Tyrrhenicus sinus, & Alpes triplices

(i) Lib. I. cap. 13.
(k) Lib. V. cap. 41.
(l) Lib. V. cap. 325. collat. cum Lib. IV. pag. 298.
(m) Antiquit. Rom. Lib. VII. p. 404. edit. Oxon.
(n) Lib. 2. p. 147. sq.
(o) Lib. XIV. p. 321.
(p) In Camillo pag. 135. edit. Wechel. A. 1599.
(q) loc. cit.
(r) De bell. Hannibalis pag. 550.
(s) Lib. I. Antiq. Rom. pag. 8.
(t) pag. ead.

plices a continente ambiunt.„ Sed procul dubio de Gallia transalpina, Liguriæ vicina, hæc intelligenda ſunt: in qua circa Maſſiliam Ligures habitaſſe, & inde a Græcis Celto-Ligures vocatos eſſe, teſtatur STRABO, (u) uti ſupra jam (x) vidimus.

§. VIII.

Poſt Dionyſium Halicarnaſſenſem ætatis ordine ſextus commemorandus eſt STRABO; de quo ne minimum quidem dubii ſupereſt, quin ſub voce Κελτῶν Gallos & ſub Κελτικῇ Galliam, & quidem Cis-ac Transalpinam, ſignificet. Celticæ eoſdem aſſignat limites, (y) quos Gallia transalpina habuit. Καὶ περὶ μὲν τῆς Ἰβηρίας - ταῦτα, ἐφεξῆς δ' ἐστὶν ἡ ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων Κελτική. Et porro: εἴρηται γὰρ ὅτι τὴν Κελτικὴν ταύτην ἀπὸ μὲν τῆς δύσεως ὁρίζει τὰ Πυρηναῖα ὄρη τῆς ἑκατέρωθεν θαλάττης, τῆς τε ἐντὸς καὶ τῆς ἐκτὸς προσαπτόμενα. ἀπὸ δὲ τῶν ἀνατολῶν ὁ Ῥῆνος παράλληλος ὢν τῇ Πυρήνῃ· τὰ δ' ἀπὸ τῶν ἄρκτων καὶ τῆς μεσημβρίας, τὰ μὲν ὁ Ὠκεανὸς περιείληφεν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν βορείων ἄκρων τῆς Πυρήνης μέχρι τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου. τὰ δ' ἐξ ἐναντίας ἡ κατὰ Μασσαλίαν καὶ Νάρβωνα θάλαττα καὶ αἱ Ἄλπεις ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς ἀρξάμεναι μέχρι τῶν πηγῶν τοῦ Ῥήνου. " Ac hæc quidem de Hiſpania. Illi contigua eſt Celtica transalpina. -- Dictum eſt ſupra univerſam Celticam verſus occaſum Pyrenæis definiri montibus, utrumque mare tam externum, quam internum tangentibus: ab ortu autem Rheno, qui Pyrenæ eſt parallelus: a ſeptentrione Oceano, a ſeptentrionalibus Pyrenæ extremis uſque ad oſtia Rheni: a meridie mari, quod eſt ad Maſſiliam & Narbonem, & Alpibus, quæ a Liguria incipientes ad fontes Rheni porriguntur.„ Hoc iiſdem pene verbis quoque alibi tradit. (z) Sic Montem Gebennam, quem intra Galliæ fines poſitum

Strabo.

(u) Lib. IV. p. 310. ſq.
(x) §. V.
(y) Lib. III. p. 265. & Lib. IV. p. 266. ſq.
(z) Lib. 2. p. 189. ſq.

poſitum eſſe conſtat, in campis Celtarum eminere refert: τὸ καλέμενον Κέμμενον ὄρος τελευτᾷ ὡς μεσαίτατα τὰ τῶν Κελτῶν πεδία. "*Mons Gebenna* deſinit in medios *Celtarum* campos." Sic Celtas in confiniis Hiſpanorum ponit: (*) ἡ μὲν δὴ παραλία πᾶσα ἡ ἀπὸ ϛηλῶν μέχρι τῆς μεθορίας τῶν Ἰβήρων καὶ Κελτῶν, τοιαύτη. "Et „hæc eſt maritima ora a columnis uſque *ad confinium Hi-„ſpanorum & Celtarum.*" Galliam cisalpinam per Κελτικὴν τὴν ἐντὸς Ἄλπεων denotat, (a) ubi Celticæ, intra Alpes ſitæ, fines, qui iidem cum Gallia cisalpina ſunt, recenſet: Ὅπε τὰ Ἀπέννινα ὄρη συνάπτει ταῖς Ἄλπεσιν, ὑπόκειται εὐθὺς πεδίον ἀξιόλογον πάρισόν πως ἔχον τὸ πλάτος καὶ τὸ μῆκος ϛαδίων ἑκατὸν καὶ δισχιλίων· τὸ δὲ μεσημβρινὸν αὐτῦ πλευρὸν κλείεται τῇ τε τῶν Ἐνετῶν παραλίᾳ καὶ τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι τοῖς περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα καθήκεσι. - - Ἡ μὲν ἦν ἐντὸς Ἄλπεων Κελτικὴ τύτοις κλείεται τοῖς ὅροις. "Quo loco Apenninus Alpibus „committitur, ſubjacet ſtatim planicies inſignis 2100. „ſtadiorum, longitudine & latitudine fere æquali: cu-„jus meridionale latus ora Venetorum & Apennini par-„te ad Ariminum & Anconem porrecta includitur. - - His „ergo finibus Celtica cisalpina includitur." (b) Sic incolas Galliæ cisalpinæ Κελτὺς quoque nominat: (c) τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ὑπὸ Κελτῶν περιῳκεῖτο τῶν πλείϛων ὁ ποταμός. (ſcil. ὁ Πάδος) μέγιϛα ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βόϊοι καὶ Ἴνσυβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδε καταλαβόντες Σένωνες μετὰ Γαισατῶν. "Circa fluvium autem Pa-„dum quondam Celtæ habitabant plurimi, quorum ma-„ximæ gentes Boii & Inſubres, & qui Romam aliquan-„do ſubita incurſione ceperunt Senones una cum Gæ-„ſatis. (d)

§. IX.

Dionyſius Periegetes.

DIONYSIUS PERIEGETES ſeptimus ordine Gallis Celtarum nomen tribuit in Carmine, (e) ubi regiones & po-

(*) Lib. 3. p. 243.
(a) Lib. V. p. 323.
(b) Conf. Lib. V. pag. 333. & Lib. IV. pag. 293. 312. &c.
(c) Lib. V. pag. 325. ſq.
(d) Conf. Lib. 4. p. 298. ſq.
(e) Verſ. 280. ſqq.

& populos Europæ recenſet, & poſt Hiſpanos a Pyrenæo monte ſtatim Celtas collocat: illoſque prope fontes Eridani ſedem habere aſſerit:

. . . ῥέα τέρμα κεχήσεαι Εὐρωπείης·
Τῆς ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται
ἀγχοῦ στηλάων μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων.

Et brevi poſt:

Τοῖς δ' ἔπι Πυῤῥηναῖον ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν
ἀγχόθι πηγάων καλλιῤῥόου Ἠριδανοῖο.

“ Facile fines invenies Europæ,
„ cuius videlicet extremo ſub angulo habitant
„ prope columnas magnanimorum gens Hiſpanorum.
„ Poſt hos autem Pyrenæus mons & domicilia Celtarum
„ prope fontes pulchriflui Eridani.

Quem locum Dionyſii, quod Celtas refert, bene explicat EUSTATHIUS, græcus ſæculi XII. ſcriptor, in ſcholiis, ubi Πυρήνη δὲ, inquit, ὄρος μέγιστον διαχωρίζων τὴν Ἰβηρίαν καὶ τὴν Κελτικήν.—Οἰκεῖν δὲ λέγονται ἄχρι καὶ τοῦ Ῥήνου οἱ Κελτοὶ, ἀπὸ δὲ αὐτῶν οἱ σύμπαντες Εὐρωπαῖοι Γαλάται Κελτοὶ ὑπὸ Ἑλλήνων ἐκλήθησαν. “ Pyrenæi montes „ maximi ſunt, & Hiſpaniam a Celtica ſive Gallia divi- „ dunt: habitare autem Celtæ dicuntur uſque ad Rhe- „ num: & ab iis omnes Galli Europæi Celtæ a Græcis vo- „ cati ſunt. „

Poſt Periegetam PLUTARCHUS non tantum eadem ſignificatione vocis Celtarum ſæpiſſime utitur; ſed veterem quoque Poëtam Simylum profert, qui Boios, Galliæ populum, uti patet ex LIVIO, (f) TACITO, (g) POLYBIO, (h) inter Celtas reponit, indicio, per Celtas eum Gallos ſignare. En verba Plutarchi: (i) Σίμυ- Plutarchus

(f) Lib. V. cap. 34. ſq.
(g) Mor. Germ. cap. 28.
(h) Lib. III. p. 268.
(i) In vita Romuli p. 28. edit. Wechel. 1599.

Σίμυλος δ' ὁ ποιητὴς καὶ παντάπασι ληρεῖ, μὴ Σαβίνοις οἰόμενος, ἀλλὰ Κελτοῖς τὴν Ταρπηΐαν προδοῦναι τὸ Καπιτώλιον, -- λέγει δὲ ταῦτα,

Ἡ δ' ἀγχοῦ Ταρπηΐα παρὰ Καπιτώλιον αἶπος
  Ναίουσα Ῥώμης ἔπλετο τειχολέτις.
Κελτῶν ἡ στέρξασα γαμήλια λέκτρα γενέσθαι,
  Σκηπτούχων πατέρων οὐκ ἐφύλαξε δόμους.
Τὴν δ' οὔτ' ἄρ Βόϊοί τε καὶ ἔθνεα μυρία Κελτῶν
  Χηράμενοι ῥεέθρων ἐντὸς ἔθεντο Πάδου.

"Poëta vero Simylus plane delirat, qui non Sabinis Tar-
„pejam, ſed Celtis putat Capitolium prodidiſſe, -- cum
„hæc ſcribit:

„Tarpeja, quæ ad montem Capitolinum
  „habitabat, urbi Romæ exitio fuit.
„Quæ cum matrimonium cum Celtis ambiret
  „Patrum regnantium domos non ſervavit.
„Quam Boii & innumeri Celtarum populi
  „Averſati in Padum præcipitarunt.

De ipſo Plutarcho, quod Gallis nomen Celtarum, & Galliæ, tam cis quam transalpinæ, nomen Celticæ tribuat, res indubia ex eo, quod Belgas inter Celtas potentiſſimos eſſe, & tertiam partem Celticæ incolere tradat, (k) Βέλγας τοὺς δυνατωτάτους Κελτῶν, καὶ τὴν τρίτην ἁπάσης τῆς Κελτικῆς νεμομένους, "Belgas Celtarum potentiſſimos totiuſque Celticæ tertiam „partem incolentes„ &c. quæ quidem de Gallis & Gallia explicanda eſſe, ex CÆSARE (l) notum eſt. Sic Cæſari in Conſulatu ſuo Celticam Cis- & Transalpinam una cum Illyrico provincias decretas fuiſſe narrat, (m) quod de Galliis intelligendum eſſe, ex ipſis Cæſaris Commentariis, ex SUETONIO, (n) DIONE CASSIO (o) aliisque manifeſtum eſt. Ita vero Plutarchus: Πομπήϊος δὲ -- συμπεισόμενος τῷ δήμῳ

(k) In vita Cæſaris pag. 717.
(l) Lib. I. de Bell. Gall. cap. 1.
(m) In vita Cæſaris p. 714.
(n) Vita Cæſar. cap. 22.
(o) Libr. XXXVIII.

δήμῳ τοὺς νόμους, Καίσαρι δὲ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἅπασαν Κελτικὴν, προσθεὶς τὸ Ἰλλυρικὸν μετὰ ταγμάτων τεσσάρων εἰς πενταετίαν. "Pompejus autem leges populo firmavit, Cæsari vero effecit, ut Celtica cisalpina & transalpina omnis adjuncto Illyrico, cum quatuor legionibus in quinquennium decerneretur." Sic bellum cum Helvetiis Cæsarem inter bella Celtica primum gessisse refert: (p) ἀλλὰ γὰρ ὁ πρῶτος αὐτῷ (scil. Καίσαρι) τῶν Κελτικῶν πολέμων πρὸς Ἐλβηττίους συνέστη καὶ Τιγυρίνους. "Bellorum Celticorum primum Cæsar cum Helvetiis & Tigurinis gessit." Manifesto autem Cæsar ipse, optimus in hac re testis, Helvetios Gallis annumerat. (q)

§. X.

ARRIANUS, in scriptorum ordine nonus, per Celtas Gallos cisalpinos intelligit, quando Celtas, ad sinum Jonium habitantes, legatos ad Alexandrum M. misisse tradit: (r) ἐνταῦθα ἀφίκοντο πρέσβεις ὡς Ἀλέξανδρον παρά τε τῶν ἄλλων, ὅσα αὐτόνομα ἔθνη προσοικεῖ τῷ Ἴστρῳ, καὶ παρὰ Σύρμου τοῦ Τριβαλλῶν βασιλέως, καὶ παρὰ Κελτῶν τῶν ἐπὶ τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ ᾠκισμένων ἧκον (μεγάλοι οἱ Κελτοὶ τὰ σώματα, καὶ μέγα ἐπὶ σφίσι φρονοῦντες) φιλίας δὲ πάντες τῆς Ἀλεξάνδρου ἐφιέμενοι. "Ibi legati ad Alexandrum venere, cum ab aliis sui juris nationibus, quæ Istrum accolunt, tum a Syrmo Triballorum rege, & a Celtis, qui ad Jonium sinum habitant. Sunt vero Celtæ proceræ staturæ & elati ob eam rem animi. Omnes autem se Alexandri amicitiam poscentes venire asserebant." Ibi enim Gallos cisalpinos sedes habuisse docet.

Arrianus.

Quin

(p) Vita Cæsaris p. 716.
(q) Libr. I. de Bell. Gall. cap. 1.

(r) Lib. I. Cap. 1. p. 11. edit. Blancard.

Appianus.

Quin & APPIANUS, (s) quem decimo loco ponimus, cum præcedentibus concors est: τὸ γὰρ Ἀπεννῖνα κατέρχεται μὲν ἐκ μέσου τῶν Ἄλπεων ἐπὶ θάλασσαν. ἔστι δ' αὐτῶν τὰ μὲν ἐπὶ δεξιᾷ πάντα καθαρῶς Ἰταλία, τὰ δὲ ἐπὶ θάτερα ἐς τὸν Ἰόνιον φθάνοντα νῦν μὲν ἔστι καὶ ταῦτα Ἰταλία. -- οἰκοῦσι δ' αὐτῶν τὰ μὲν Ἕλληνες ἀμφὶ τὴν Ἰόνιον ἀκτὴν, τὰ δὲ λοιπὰ Κελτοὶ, ὅσοι τῇ Ῥώμῃ τὸ πρῶτον ἐπιθέμενοι τὴν πόλιν ἐνέπρησαν, ὅτε γὰρ αὐτοὺς ἐξελαύνων Κάμιλλος ἐδίωκε μέχρι τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, ἐμοὶ δοκοῦσιν ὑπερβάντες αὐτὰ, ἀντὶ ἠθῶν τῶν ἰδίων παρὰ τὸν Ἰόνιον οἰκῆσαι, καὶ τὸ μέρος τῆς χώρας ἔτι νῦν οὕτως καλοῦσιν Ἰταλίαν Γαλατικήν. " Apenninus ex „ mediis Alpibus in mare procurrit, ad cuius dextrum latus ea est, quæ vere Italia dicitur: a sinistro ad Jonium „ mare nunc quidem Italia est, -- sed tamen partem ejus „ circa littus Jonium incolunt Græci, partem Celtæ, qui „ quondam Romam bello adorti incenderunt. Quos cum „ Camillus fugientes ad Apenninum usque persecutus fuisset, arbitror superato monte pro sedibus patriis ad Jonium „ consedisse. Unde nunc quoque partem eius regionis „ Italiam Gallicam nominant. „ Appianus sæpe sub nomine Celtarum de Gallis, tam cis- quam transalpinis, sermonem instituit. De Gallis cisalpinis ita loquitur: (t) χρόνῳ δ' ὕστερον, ὅτε Ῥωμαῖοι Κελτοῖς τοῖς περὶ Πάδον ἐπολέμουν. " Posterioribus temporibus cum Romani adversus *Celtas Padi* „ *accolas* bellum gererent. „ Alibi: (u) ἐπὶ δὲ ποταμὸν Ἠριδανὸν, τὸν νῦν Πάδον λεγόμενον, ἐλθὼν (sc. Ἀννίβας) ἔνθα Ῥωμαῖοι Κελτοῖς τοῖς καλουμένοις Βοιοῖς ἐπολέμουν, ἐστρατοπέδευσεν. " Veniensque ad Eridanum „ fluvium, qui nunc Padus dicitur, Hannibal, ubi Romani cum *Celtis Boiis* armis contendebant. „ De Gallis transalpinis mentio in Libro de Bellis Civilibus, (x) ubi Rhodanum per Celtas transalpinos in mare decurrere scribit: ῥεῖ δ' ὁ μὲν (sc. Ῥοδανὸς) διὰ Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ἄλπεις ἐς τὴν Τυῤῥηνικὴν θάλασσαν. " *Rhodanus* quidem fluit per *Celtas transalpinos* in mare

(s) De Bell. Annibalis p. 550. edit. Tollian.
(t) De Bellis Hispan. pag. 464.
(u) De Bellis Annibalis p. 547.
(x) Lib. I. p. 696.

„mare Tyrrhenicum.„ Et alibi, (y) ubi Aquitanos Celtas vocat: ὄντι δ᾽ ἀθύμως ἔχοντι αὖθις ἀγγέλλεται νίκη κατὰ Κελτῶν τῶν Ἀκυϊτανῶν ἐπιφανής. "His curis anxio (ſc. Cæſari Octa-„ viano) nuntiatur victoria de Celtis Aquitanis egregia.„ In Libro de Bellis Hiſpanicis (z) Celtas & Gallos tanquam ſynonyma jungit. Ὄρος ἐςὶ Πυρήνη διῆκον ἀπὸ τῆς Τυῤῥηνικῆς θαλάσσης ἐπὶ τὸν Βόρειον Ὠκεανόν. οἰκοῦσι δ᾽ αὐτοῦ πρὸς μὲν ἕω Κελτοὶ, ὅσοι Γαλάται τε καὶ Γάλλοι προσαγορεύονται. "Pyrenæus mons a Tyrr-„ heno ad Septentrionalem Oceanum extenditur. Ejus „ partem, quæ ad auroram eſt, incolunt *Celtæ*, *qui Galatæ & Galli nunc* cognominantur.„ Galliam cis & transalpinam Appianus quoque Celticam dicit, cum de percuſſoribus Cæſaris loquitur: (a) συνεςήσαντο δὲ τὴν ἐπιβουλὴν μάλιστα -- Μάρκος τε Βροῦτος -- καὶ Γάϊος Κάσσιος -- τῶν δ᾽ αὐτῷ Καίσαρι φιλτάτων Δέκιμος Βροῦτος Ἀλβῖνος, οἷς γε καὶ ἐπὶ τὸν ἐν Λιβύῃ πόλεμον ἀπιὼν ςρατεύματα ἔδωκε καὶ τὴν Κελτικὴν ἐπέτρεψε, τὴν μὲν ὑπὲρ Ἄλπεων Δεκίμῳ, τὴν δ᾽ ἐντὸς Ἄλπεων Βρούτῳ. "Ejus coniurationis fuere principes M. Bru-„ tus & C. Caſſius -- ex ipſius vero Cæſaris intimis amicis,„ Decimus Brutus Albinus, quibus & iturus ad Africa-„ num bellum exercitus dederat, Celticamque provinciam„ commiſerat, Decimo Bruto transalpinam, Marco cisal-„ pinam.„ Alio in loco, (b) ubi pacta Triumviratus inter Cæſarem, Antonium & Lepidum inita leguntur, narrat: τὰς δὲ ἡγεμονίας τῶν ἐθνῶν νενεμημένους ἔχειν μὲν Ἀντώνιον τὴν Κελτικὴν ἅπασαν, ἄνευ τῆς συναφοῦς τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν, ἣν παλαιὰν ἐκάλουν Κελτικήν. "Provincias ita partirentur, ut Antonius haberet uni-„ verſam Celticam, excepta ea, quæ Pyrenæis montibus„ eſt contigua, quæque vetus Celtica nominabatur.„ Enimvero ſatis elucet, Appianum hic per Celticam veterem, Pyrenæis montibus contiguam, Galliam Narbonenſem

(y) Lib. V. p. 1149.
(z) pag. 421. ſq.

(a) De Bell. Civil. Lib. II. p. 871.
(b) Bell. Civil. Lib. IV. p. 953.

nensem intelligere, dudum iam imperio Romano adjectam, ut eam a cætera Gallia, recens a Cæsare subacta, distingueret.

§. XI.

Pausanias. PAUSANIAS, (c) quem primum post primam scriptorum Decadem pono, Galliam Cisalpinam κελτικὴν, Celticam appellat, ubi Ligures trans Padum supra Celticam habitare scribit: Λιγύων τῶν Ἠριδανοῦ πέραν ὑπὲρ γῆς τῆς Κελτικῆς Κύκνον ἄνδρα μουσικὸν γενέσθαι βασιλέα φασί. "Ligurum, qui trans Eridanum supra Celticam habitant, Cygnum Musicæ laude clarum regem fuisse memorant." Eridanum hinc ipsum, quod per Galliam cisalpinam fluit, κελτικὸν, Celticum nuncupat: (d) ποταμοὶ δὲ Ἀθηναίοις ῥέουσι Εἰλισσός τε καὶ Ἠριδανὸς τῷ Κελτικῷ κατὰ τὰ αὐτὰ ὄνομα ἔχων. "Amnes in Attica nobiles sunt Ilissus & Eridanus, eodem cum *Celtico Eridano* nomine."

§. XII.

Ptolemæus Duodecimum locum occupat PTOLEMÆUS, Galliam transalpinam κελτογαλατίαν, Celtogalatiam vocans. Ita enim: (e) ἡ Κελτογαλατία διῄρηται εἰς ἐπαρχίας δ' Ἀκυιτανίαν, καὶ Λουγδουνησίαν, καὶ Βελγικὴν, καὶ Ναρβωνησίαν. "Celtogalatia in quatuor divisa est provincias, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam & Narbonensem." Singulatim dein has etiam quatuor provincias ita appellat. Capiti octavo Libri secundi Ptolemæus inscripsit: Κελτογαλατία Λουγδουνησία. *Celtogalatia Lugdunensis*; Capiti nono: Κελτογαλατία Βελγική, *Celtogalatia Belgica*; Capiti decimo: Κελτογαλατία Ναρβωνησία, *Celtogalatia Narbonensis*: idemque de Gallia Narbonensi repetitur alibi.

(c) Atticor. Lib. I. cap. 30. p. 76. edit. Kühn.
(d) Atticor. Lib. I. cap. 19. p. 45.
(e) Geograph. Lib. II. cap. 7. edit. Bertian.

alibi. (f) In Europæ Tabul. III. Τῆς δὲ Ναρβωνησίας Κελτογαλατίας ἡ Μασσιλία. "In Narbonensi Celtogalatia urbs Massilia." Quo in loco quoque Gallia Aquitanica Celtogalatia vocatur: τῆς μὲν οὖν Ἀκυϊτανίας Κελτογαλατίας τὸ Μεδιολάνιον. "In Aquitanica Celtogalatia urbs Mediolanum;" manifesto indicio, Ptolemæum sedes Celtarum in Gallia ponere. Mediolanum Santonum (*Saintes*) intelligitur.

§. XII.

ATHENÆUS in Deipnosophisticis per Celtas similiter Gallos significat. Repletus est liber, uti constat, vario eruditionis genere, ex multis scriptoribus diligenter congestus, & ea quidem methodo; ut semper scriptoris, unde sumtum est aliquid, nomen adiecerit. Atqui tam in his, quæ excerpsit Athenæus, quam in illis, quæ ex suis addidit, nomen Celtarum Gallis tribuitur. Profert ille (g) locum ex Polybio, ubi Ruscinonem & Ilebernim fluvios per terras Celtarum intra Pyrenæos montes & Narbonem fluere traditur. In his autem locis Gallorum sedes fuisse notum est. Sic enim ibi: Πολύβιος δ' ἐν τῇ τετάρτῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν μετὰ τὴν Πυρήνην φησὶν ἕως τοῦ Νάρβωνος ποταμοῦ πεδίον εἶναι, δι' οὗ φέρεσθαι ποταμοὺς Ἰλλέβερνιν, καὶ Ῥούσκινον ῥέοντας παρὰ πόλεις ὁμωνύμους κατοικουμένας ὑπὸ Κελτῶν. "Polybius libro 34. historiarum scribit, iuxta Pyrenæos montes Narbonam usque fluvium campos esse, per quos Ilebernis & Ruscino fluvii iuxta civitates eiusdem nominis, a Celtis habitatas, decurrunt." Sic alibi (h) ex Posidonio narrat, Luernium Bituiti illius patrem, qui cum Romanis infeliciter dimicavit, inter Celtas, populares suos sine dubio, aurum sparsisse, ut eorum gratiam aucuparetur: ἔτι ὁ Ποσειδώνιος διηγούμενος καὶ τὸν Λουερνίου τοῦ Βιτυίτου πατρὸς πλοῦτον τοῦ ὑπὸ Ῥωμαίων

(f) Lib. VIII. cap. 2. p. 225.
(g) Lib. VIII. cap. 2. p. 332. edit. Lugdun. A. 1612.
(h) Libr. IV. cap. 12. p. 152.

μαίων καθαιρεθέντος φησὶ δημαγωγῦντα αὐτὸν τὺς ὄχλυς ἐν ἅρματι φέρεσθαι διὰ τῶν πεδίων καὶ σπείρειν χρυσὸν καὶ ἄργυρον ταῖς ἀκολυθέσαις τῶν Κελτῶν μυριάσι. "Porro Posidonius Luernii, qui Bituiti pater fuit, a Ro„manis profligati, opes cum enarrat, tradit eum, popula„rem gratiam aucupantem, per agros curru vehi solitum, „aurumque & argentum in turbas Celtarum innumeras „eum persequentes sparsisse.„ Jam vero idem Bituitus rex Arvernorum fuisse traditur a FLORO. (i) Ergo Bituiti pater procul dubio inter eosdem vixit Arvernos, inter quos filius regiam dignitatem gessit: Arverni vero Galli fuerunt; clare id testantibus CÆSARE, (k) STRABONE, (l) PTOLEMÆO, (m) PLINIO. (n) Denique Athenæus ipse Sotianos gentem Celticam appellat, (o) quam tamen Gallicam fuisse & eandem cum Sotiatibus, Aquitaniæ populo, de quo CÆSAR, (p) supervacaneum esset prolixius demonstrare, quum simplex verborum Cæsaris & Athenæi collatio sufficiat. In Athenæo ita: (q) Νικόλαος δ' ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ πολυβίβλῳ ἱςορίᾳ τῇ ἑκκαιδεκάτῃ καὶ ἑκατοςῇ φησὶν Ἀδιάτομον τὸν τῶν Σωτιανῶν βασιλέα (ἔθνος δὲ τῦτο Κελτικὸν) ἑξακοσίυς ἔχειν λογάδας περὶ αὐτὸν, ὓς καλεῖσθαι ὑπὸ Γαλατῶν τῇ πατρίῳ γλώττῃ Σιλοδύνες. τῦτο δ' ἐςὶν ἑλληνιςὶ εὐχωλιμαῖοι· τύτυς δ' οἱ βασιλεῖς ἔχυσι συζῶντας καὶ συναποθνήσκοντας, ταύτην ἐκείνων εὐχὴν ποιυμένυς, ἀνθ' ἧς συνδυναςεύυσί τε αὐτῷ τὴν αὐτὴν ἐσθῆτα καὶ δίαιταν ἔχοντες, καὶ συναποθνήσκυσι κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην, εἴτ' ἐν νόσῳ τελευτήσει ὁ βασιλεὺς, εἴτε πολέμῳ, εἴτ' ἄλλως πως, καὶ ὐδεὶς εἰπεῖν ἔχει τινὰ ἀποδειλιάσαντα τύτων τὸν θάνατον, ὅταν ἥκῃ βασιλεῖ, ἢ δεδοικότα. "Nicolaus „Damascenus in historia, multis libris condita, libro 116. „narrat, Adiatomum regem Sotianorum (est autem ea „natio Celtica) sexcentos habuisse proxime sibi delectos „homines; Galli propria lingua Silodunos vocant, quod signi-

(i) Epitome LIVII Libr. LXI. conf. idem in Epitom. rer. Roman. Libr. III. c. 2.
(k) Lib. I. de Bell. Gall. cap. 31.
(l) Libr. IV. p. 291.
(m) Geogr. Lib. II. cap. 7. p. 50.
(n) Libr. IV. hist. natur. cap. 17.
(o) Libr. VI. cap. 13.
(p) Libr. III. de Bell. Gall. c. 20. 21.
(q) Pag. 249.

ſignificat devotos: qui cum rege & vivunt, & moriun-„ tur, ſiquidem ad hoc ex voto obligati ſunt: pro quo„ cum eo regnant, eodemque victu & veſte utuntur, &„ moriuntur una cum rege, quacunque naturæ neceſſitate„ is pereat; ſive Rex intereat morbo, ſeu in prœlio, ſeu„ alia ex cauſa: nec eſt, qui dicere poſſit, ex illis quem-„ piam unquam mortem vel expaviſſe, vel effugere vo-„ luiſſe.„ Sic autem CÆSAR, (r) ex quo ſine dubio Nicolaus Damaſcenus, ab Athenæo allegatus, ſua ſumſit: "P. Craſſus cum in Aquitaniam perveniſſet, -- in Sotia-„ tium fines exercitum introduxit: & oppidum Sotiatium„ oppugnare cœpit. -- Illi legatos ad Craſſum mittunt, ſe-„ ve in deditionem ut recipiat, petunt: qua re impetrata,„ arma tradere juſſi faciunt: atque in ea re omnium no-„ ſtrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adcantuan-„ nus, qui ſummam imperii tenebat, cum 600. devotis,„ quos illi Soldurios appellant; quorum hæc eſt conditio„ ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quo-„ rum ſe amicitiæ dediderunt; ſi quid iis per vim accidat,„ aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſci-„ ſcant: neque adhuc hominum memoria repertus eſt,„ quiſquam, qui eo interfecto, cuius ſe amicitiæ devoviſ-„ ſet, mori recuſaret.„

§. XIII.

Dio Caſſius.

DIO CASSIUS (s) Gallos antiquiſſimis temporibus Celtas eſſe vocatos refert: τόγε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ (ſc. τοῦ Ῥήνου) οἰκοῦντες ὠνομάζοντο: "Antiquiſſimis tem-„ poribus populi, qui ex utraque parte Rheni habitabant,„ Celtæ uno nomine appellati ſunt.„ Ipſe Galliam Κελτικὴν Celti-

(r) Libr. III. de Bell. Gall. c. 20. 21. 22.

(s) Libr. XXXIX. pag. 113. ſq. edit. Leunclav. A. 1606.

Celticam vocat, (t) ubi Britanniam inſulam a Morinis, Celticæ incolis, 450. ſtadia diſtare refert: Ὁ οὖν Καῖσαρ - - ἐς Βρεττανίαν μετὰ ταῦτα - - ἐπεραιώθη, ἡ δὲ δὴ χώρα αὕτη ἀπέχει μὲν τῆς ἠπείρου τῆς Κελτικῆς κατὰ Μορίνους σταδίους πεντήκοντα καὶ τετρακοσίους τὸ συντομώτατον. "Cæſar deinde in Britanniam profectus eſt: hæc autem „terra ad minimum 450. ſtadia ab ea parte *Celticæ, quam Morini habitant*, diſtat.„ Morinos vero in Gallia, & quidem Belgica, habitaſſe, teſtantur CÆSAR (u) & PLINIUS. (x) Sic porro κελτικὴν etiam Dio eam Galliæ partem nominat, quæ Aquitanis vicina fuit, & quam Cæſar & alii ſcriptores Latini ſpeciatim quoque Celticam nominant. Ita enim DIO: (y) ὑπὸ δὲ δὴ τὰς αὐτὰς ἡμέρας καὶ ὁ Κράσσος ὁ Πούπλιος τοῦ Κράσσου τοῦ Μάρκου παῖς τὴν Ἀκυϊτανίαν ὀλίγου πᾶσαν κατεστρέψατο. Γαλάται γὰρ καὶ αὐτοὶ ὄντες τῇ τε Κελτικῇ προσοικοῦσι, καὶ παρ' αὐτὸ τὸ Πυρηναῖον ἐς τὸν Ὠκεανὸν καθήκουσι. "Iiſdem fere diebus P. Craſſus „M. filius totam prope Aquitaniam ſubegit: Galli enim „& hic ipſi ſunt, Celticæ vicini, & ad ipſos Pyrenæos „montes Oceanum attingunt.„ Belgæ etiam Dioni κελτικοὶ Celtici dicuntur, (z) ubi populos Galliæ enumerat, & eos dividit in Narbonenſes, Lugdunenſes, Aquitanos & Celticos: Γαλάται πάντες οἵ τε Ναρβωνήσιοι, καὶ οἱ Λυγδουνήσιοι, Ἀκυϊτανοί τε καὶ Κελτικοί. "Omnes Galli, & Narbonenſes, & Lugdunenſes, Aquitani & Celtici.„ Nam Belgas hic ſub Celticis intelligendos eſſe, ex notiſſima Galliæ Transalpinæ diviſione patet, qua in Narbonenſem, Lugdunenſem ſive Celticam, Aquitanicam & Belgicam, conſentientibus omnibus veteribus Geographis, CÆSARE, (a) PLINIO, (b) MELA, (c) STRABONE, (d) olim diſtincta fuerat. Ipſe etiam DIO CASSIUS (e) manifeſte

(t) Libr. XXXIX. p. 114.
(u) De Bell. Gall. Libr. II. cap. 4.
(x) Hiſtor. natur. Libr. IV. c. 17.
(y) Libr. XXXIX. p. 112.
(z) Libr. LIII. p. 503.

(a) De Bell. Gall. Libr. I. c. 1.
(b) Libr. IV. c. 17. & Libr. III. c. 4.
(c) Libr. III. c. 2.
(d) Libr. IV. p. 266. ſq.
(e) Libr. XXXIX. p. 93.

feſte oſtendit, ſe Celticos hac ſignificatione ſumere, dum occaſione coniurationis, a Celticis A. V. C. 597. contra Romanos & C. Cæſarem factæ, ſitum Celticorum deſcribit, eoſque a Rheno ſe uſque ad Oceanum Britannicum extendiſſe refert: οἱ Κελτικοὶ τῷ τε Ῥήνῳ πολλοῖς καὶ συμμίκτοις γένεσι προσοικοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸν Ὠκεανὸν τὸν κατὰ Βρεττανίαν καθήκοντες ἐν μὲν τῷ πρὶν οἱ μὲν ἔνσπονδοι τοῖς Ῥωμαίοις ἦσαν, οἳ δὲ ἐφρόντιζον αὐτῶν οὐδέν. τότε δὲ τὸν Καίσαρα εὖ φερόμενον ἰδόντες συνεστράφησαν, καὶ κοινῷ πλὴν Ῥημῶν λόγῳ χρησάμενοι συνεβουλεύσαντο ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις. "Celtici variis ſuis &„ inter ſe permixtis gentibus ad Rhenum habitant & ſe„ uſque ad Oceanum Britannicum extendunt. Hi priori-„ bus temporibus partim fœdere cum Romanis juncti fue-„ runt, partim nullam eorum rationem habuerunt: tunc„ autem Cæſarem læto ſucceſſu rerum ferri videntes, con-„ jurationem fecerunt, unanimique conſenſu, ſolis Rhemis„ exceptis, omnes contra Romanos conſilia inierunt.„ Enumerat dein inter illos Celticos Dio Nervios & Aduaticos, (f) quos Cæſar, teſtis & ſcriptor αὐτόπτης, Belgas non ſemel appellat. (g)

§. XIV.

Sequitur STEPHANUS BYZANTINUS, qui per Κελτοὺς item Gallos, per Κελτικὴν & Κελτογαλατίαν Galliam evidenter denotat. De Aquitania, Galliæ haud dubie provincia: (h) Ἀκυτανία, ἐπαρχία τῆς Κελτικῆς Γαλατίας, μία τῶν τεσσάρων, Μαρκιανὸς ἐν περίπλῳ αὐτῆς. "Aquitania provincia Galliæ Celticæ, una„ ex quatuor, Marcianus in eius Periplo.„ Voces duas Κελτικὴν & Γαλατίαν hic tanquam ſynonyma jungit, ut Galatiam Europæam a Galatia Aſiæ ſ. Gallogræcia forſan diſtinguat. Sic de Lugduno, celebri Galliæ urbe: (i) Λούγδουνα, πόλις Stephanus Byzantinus.

(f) Pag. 93. ſq.
(g) Lib. II. de Bell. Gall. c. 1. 3. 4.
(h) Pag. 85. edit. Berkel.
(i) Pag. 518.

πόλις Κελτογαλατίας, Πτολεμαῖος ἐν περίπλῳ. "Lugduna, urbs Celtogalatiæ, Ptolemæus in Periplo :„ Sic de Narbone, (k) florentissima item Galliæ civitate, a qua tota Galliæ provincia nomen accepit: Ναρβὼν, ἐμπόριον καὶ πόλις Κελτικὴ, Στράβων τετάρτῳ. "Narbo, emporium & urbs Celtica, Strabo Lib. IV.„ Sic de Arvernis, (l) quos ex Cæsare, Plinio, Strabone, Ptolemæo Gallos fuisse constat, (m) Ἀρβέρνοι, ἔθνος μαχιμώτατον τῶν πρὸς τῇ Κελτικῇ Γαλατῶν. Ἀπολλόδωρος τετάρτῳ χρονικῶν, Κελτῶν Ἀρβέρνους. "Arverni, gens bellicosissima Gallorum in Celtica; Apollodorus Libr. IV. Chronic. Celtarum Arvernos.„ De Æduis similiter, sive, ut ipse vocat, Ædusiis: (n) Αἰδούσιοι σύμμαχοι Ῥωμαίων πρὸς τῇ Κελτικῇ Γαλατίᾳ. Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικῶν δ. "Ædusii Romanorum socii in Celtica Gallia: Apollodorus in Chronic. IV.„ Æduos vero Romanorum socios Gallos fuisse, sedesque in Gallia habuisse, CÆSAR, (o) STRABO, (p) PTOLEMÆUS, (q) PLINIUS (r) & MELA (s) perscribunt.

Suidas. Ultimo loco inter Græcos memorandus est SUIDAS; qui prima quidem specie per Celtas solos Germanos designare videtur, in voce Κελτοὶ, ubi: Κελτοὶ, ὄνομα ἔθνους οἱ λεγόμενοι Γερμανοί. "Celtæ nomen gentis; hi & Germani vocantur.„ Sed si accurate inspicitur, revera Gallos intelligit. Senones certe, quos in confesso est Gallos fuisse, uti ex POLYBIO, (t) FLORO, (u) & aliis patet, κελτοὺς, Celtas vocat; & Valerium tribunum militum ex victoria, in singulari certamine, de quodam ex illis Celtis reportata, nomen Corvi-

(k) Pag. 581.
(l) Pag. 170.
(m) Conf. §. XII.
(n) Pag. 57.
(o) De Bell. Gall. Libr. I. c. 31. 43.
(p) Libr. IV. p. 293.
(q) Libr. II. Geogr. cap. 8. p. 52.
(r) Libr. IV. Histor. natur. cap. 18.
(s) De situ orbis Libr. III. c. 2.
(t) Lib. II. pag. 150. & 152.
(u) Lib. c. 13.

Corvini adeptum esse tradit: quod iterum ex LIVIO (x) & FLORO (y) constat in bello, cum Gallis contigisse, victumque a Valerio Gallum fuisse. Ita enim ipse Suidas, ulterius Celtas describens, inquit: οἳ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ὤκουν, οἳ κατέθεον τὴν γῆν τῶν Ἀλβανῶν, οὓς καὶ Σήνωνας καλοῦσιν. οὗτοι οἱ Κελτοὶ κατὰ Ῥωμαίων ἐστράτευσαν, ἀνὴρ δέ τις τῶν Κελτῶν, -- ἐς μονομαχίαν προὐκαλεῖτο τῶν ἐναντίων τὸν ἄριστον. — Βαλέριος δέ τις ἡγεμὼν φάλαγγος ὑπέστη τὸ ἀγώνισμα, &c. "Qui fluvium Rhenum accolunt, terramque Albanorum hostiliter invaserunt, eosdem & *Senones* vocant. Hi *Celtæ* bellum Romanis intulerunt: inter quos vir quidam ordinum dux hostium fortissimum ad singulare certamen provocavit. Valerius igitur tribunus militum certamini illi se obtulit."

§. XV.

Exploratis scriptoribus Græcis, ad Latinos transeundum est; inter quos primo loco occurrit CÆSAR. Hic ab initio Commentariorum suorum de Bello Gallico (z) scribit: "Gallia est omnis divisa in partes tres; quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui *ipsorum lingua Celtæ*, *nostra Galli* appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona & Sequana dividit." Ergo voces Celtæ & Galli secundum Cæsarem vel synonyma, vel eadem plane vocabula fuerunt; diverso tantum modo a Celtis Latinisque pronuntiata: quæ quam difficulter ab exteris sæpe nationibus enuntientur, POMPONIUS MELA (a) docere potest, qui cum Tauni & Rheticonis, Germanicorum montium, mentio- Jul. Cæsar.

(x) Libr. VII. cap. 22.
(y) Lib. I. cap. 13.
(z) Libr. I. de Bell. Gall. cap. 1.
(a) De situ Orb. Lib. III. c. 3.

mentionem fecisset, de cæteris hæc addit: *nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano.* Gallos vero Cæsar appellat vel generatim populos Rheno, Oceano & Pyrenæis montibus circumscriptos, vel speciatim tertiam Gallorum illorum partem, apud quos prisca lingua Gallica adhuc fuerat in usu, & qui Matrona, Sequana & Garumna a reliquis Gallis divisi erant: uti hæc ex loco Cæsaris, quem produximus, patent. Ergo & Celtæ, qui Cæsari iidem cum Gallis sunt, vel lata vel stricta significatione sumebantur. Lata comprehendebant omnes Galliæ populos: stricta illos tantum, qui Matrona, Sequana & Garumna claudebantur: quibus eo magis nomen Celtarum competebat, quod ipsi veterem Celtarum linguam, nomenque retinuerunt, suaque adeo lingua se adhuc Celtas vocarunt: cum cæteri Celtæ, mutata veteri lingua, vetus quoque nomen deposuisse viderentur. Idem CÆSAR DICTATOR alibi (b) Galliam simpliciter pro Celtica ponit. Post C. Cæsarem non multi sunt ex Latinis, apud quos vox *Celtæ* occurrit. Rarior vocis in horum libris, quam in Græcis scriptoribus mentio, quod Celtæ lingua Latina *Galli* vocabantur, uti modo ex Cæsare vidimus. Latini ergo scriptores, cum de hac gente sermonem facerent, eam suæ potius linguæ vocabulo, quam alieno designare voluerunt. Græci, quibus in patria lingua peculiaris vox non erat, quæ Celtas denotaret, indigenam eius gentis appellationem retinuerunt, eamque in terminationem tantum linguæ suæ paulum flexerunt. Latini in denominandis Gallis voce Celtarum tum præsertim utuntur, quum Cæsarem secuti Gallos, generatim ita vocatos, a Gallis, speciatim sic dictis, distinguere volunt; quos indigena tum voce vel, ut rectius dicam, indigena dialecto *Celtas* appellant.

LIVIUS

(b) Lib. II. cap. 3.

LIVIUS (c) ſcribit: "Priſco Tarquinio Romæ regnante,, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit: ii regem Celtico dabant; Ambigatus is fuit.,, POMPONIUS MELA: (d) "Regio, quam incolunt, omnis comata Gallia: Populorum tria ſumma nomina ſunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam a Pyrenæo ad Garumnam Aquitania; ab eo ad Sequanam Celtæ, inde ad Rhenum pertinent Belgæ. Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci, Celtarum Ædui, Belgarum Treviri.,, PLINIUS: (e) "Gallia omnis comata, uno nomine appellata, in tria populorum genera dividitur, amnibus maxime diſtincta. A Scaldi ad Sequanam Belgica. Ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi montis excurſum Aquitania, Aremorica ante dicta.,, Poetæ tamen Latini nonnunquam nomine Celtarum Gallos univerſos deſignant. Ita LUCANUS Celtiberos, quos ex permixtione Iberorum & Gallorum, Pyrenæis montibus proximorum, originem traxiſſe conſtat, uti infra (f) oſtendemus, ex Gallis Celtis ortos ait, & ita Celtarum nomen communiter Gallis, Galliæ incolis, tribuere videtur. (g)

Livius. Mela. Plinius. Lucanus.

"His præter Latias acies erat impiger Aſtur,
,, Vectoneſque leves, profugique a gente vetuſta
,, Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

SILIUS

(c) Lib. V. Cap. 34. LIVIUS ipſe ex Gallia Cisalpina fuit; iniquum tamen ejus in Gallos animum carpit PETRUS RAMUS de morib. vet. Gallor. pag. 27. ſq. Criticam hac ſuper re vide Doctiſſ. MELOTI, Regiæ Biblioth. Cuſtodis, in Commentar. Regiæ Inſcriptionum Academiæ Tom. XV. pag. 1.

(d) Lib. III. cap. 2.

(e) Hiſt. nat. Lib. IV. cap. 17.

(f) Ad §. xxx.

(g) Libr. IV. Pharſal. v. 8. ſqq.

Silius Italicus.

SILIUS item Italicus Gallos omnes, & quidem trans & cisalpinos, Celtas nominat: transalpinos, (h) cum montes Pyrenæos Celtas ab Iberis f. Hispanis dividere fcribit:

"At Pyrenæi frondofa cacumina montis
„ Turbata Pœnus terrarum pace petebat,
„ Pyrene celfa nimbofi verticis arce
„ Divifos Celtis late profpectat Iberos,
„ Atque æterna tenet magnis divortia terris. „

Et iterum, (i) cum Rhodanum per Celtas in mare decurrere refert:

"Aggeribus caput Alpinis, & rupe nivali
„ Profilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
„ Spumanti Rhodanus profcindens gurgite campos,
„ Ac propere in pontum lato ruit incitus alveo.

De Gallis cisalpinis loquitur, (k) ubi Trebiam per Celtica rura fluere tradit:

"Dum Romana tuæ, Ticine, cadavera ripæ
„ Non capiant? fimilifque mihi per Celtica rura
„ Sanguine Pergameo Trebia & ftipantibus armis,
„ Corporibufque virûm retro fluat.

Et alibi (l) Celtarum ad Eridanum mentionem facit:

"Eridani tumidiffimus accola Celtæ. „

§. XVI.

Ita à Græcis Latinifque fcriptoribus præcipuis nomen Celtarum Gallis adfcribi videmus. Nunc confiderandum, an aliæ quoque

(h) Libr. III. v. 415. fqq.
(i) Lib. III. v. 447. fqq.
(k) Libr. I. v. 45. fq.
(l) Libr. XI. v. 45.

quoque nationes ab iisdem scriptoribus hoc nomine denotentur. Et primo quidem de Germanis videndum est. Eundem, quem supra, cum de Gallis ageremus, servabimus ordinem; Græcos primum, dein inspecturi Latinos. Germani an Celtæ.

HERODOTUS primo quidem intuitu Germanis nomen Celtarum tribuere videtur, quando in loco, supra (m) allato, Istrum fluvium, quem in Germania scaturire notum est, scribit in Celtis oriri. Rem tamen si probe perpendas, procul ab hac significatione remotum intelliges. Eosdem enim Celtas ad Pyrenen dum collocat, eosque post Cynesios refert ultimos esse Europæorum, qui ad solis occasum habitant, vix dubium superest, Herodotum per Celtas intelligere Gallos. Herodotus.

ARISTOTELEM FRID. HOFFMANNUS (n) per Celtas putat Germanos significare; quod Libro VII. de Republica (o) Celtis eandem consuetudinem tribuit, quam Cæsar & Mela Germanis. Aristoteles ita: συμφέρει δὲ εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων, - - διὸ παρὰ πολλοῖς ἐστὶ τῶν βαρβάρων ἔθος τοῖς μὲν εἰς ποταμὸν ἀποβάπτειν τὰ γιγνόμενα ψυχρὸν, τοῖς δὲ σκέπασμα μικρὸν ἀμπισχεῖν, οἷον Κελτοῖς. "Prodest & statim ab ineunte ætate pueros frigoribus assuefacere: quo circa apud multos barbarorum in usu est, vel ut pueros simul atque nati sunt, in frigidum flumen immergant, vel ut brevi integumento vestiant, quod Celtæ faciunt." CÆSAR ita: (p) "Germani -- intra annum XX. feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus: cuius rei nulla est occultatio, quod & promiscue in fluminibus perluuntur, & pellibus aut parvis renonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda." MELA vero (q) de Germanis: Aristoteles.

(m) §. IV. (n) Lex. Hist. voce *Celtæ*.
(o) Cap. 17. Tom. III, p. 598.
(p) De Bell. Gall. Lib. VI. cap. XXI.
(q) Lib. III. cap. 3.

nis: “Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes „ſint; & longiſſima apud eos pueritia eſt. Viri ſagis ve„lantur, aut libris arborum quamvis ſæva hyeme. Nandi „non patientia tantum illis, ſtudium etiam eſt.„ Ex his tamen concludere velle, Ariſtotelem per Celtas Germanos deſignare, præceps ſane & lubricum eſt. Cur enim moribus his Germani Ariſtotelis ævo, qui trecentos annos ante Cæſarem & Melam vixit, non æque ac Galli uti potuerunt? Aliis certe in locis Ariſtotelem per Celtas Gallos denotare, ſupra (r) oſtenſum eſt. Imo ſi vel lubens concederem, conſuetudinem, quam Celtis tribuit Ariſtoteles, ſolis Germanis tam temporibus Ariſtotelis, quam Cæſaris conveniſſe, & Gallos diverſis plane moribus in hac re fuiſſe, non tamen hinc inferas, Ariſtotelem eo loco per Celtas deſignaſſe Germanos. Errare enim potuit Ariſtoteles, & falſo tribuere Gallis, per Celtas deſignatis, quod tribuendum Germanis. Ariſtoteli hoc contigit, (s) quando Iſtrum fluvium refert in Celtis oriri, in eodem loco declarans, ſe per Celtas illos Galliæ incolas ſignificare. In Ariſtotele ergo nihil reperio, ex quo colligam, eum nomen Celtarum tribuere Germanis.

§. XVII.

Polybius & alii.

POLYBIUS, DIODORUS SICULUS, & DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, ubi de Celtis loquuntur, ne minimam quidem ſuſpicionem injiciunt, quod Germanos ullibi ſub Celtis ſignificent. Imo vero Gallos conſtanter hac voce deſignant. STRABO tantum abeſt, ut Germanos Celtas appellet; ut potius Celtas a Germanis evidenter diſtinguat, quando Celticæ Rhenum, Oceanum, Pyrenæos

(r) §. IV. (s) Meteor. Lib. I. cap. 13. Tom. I. Opp. p. 768.

renæos montes, mediterraneum mare & Alpes terminos ponit. (t) Clariſſimis autem verbis id facit Libro I. (u) ubi: ἐάσας δὲ τὰ παλαιὰ τὴν νῦν Ῥωμαίων στρατείαν ἐπὶ Παρθυαίους ἱκανὸν ἡγοῦμαι τούτου τεκμήριον, ὡς δ' αὔτως τὴν ἐπὶ Γερμανοὺς καὶ Κελτούς. "Omiſ-" ſis antiquis exiſtimo proximam Romanorum in Parthos " expeditionem huic propoſito demonſtrando ſufficere, " tum in *Germanos* & *Celtas*." Et Libr. VII. (x) εὐθὺς τοίνυν τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου μετὰ τοὺς Κελτικοὺς πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμονται, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου -- τ' ἄλλα δὲ παραπλήσιοι -- ὄντες οἵους εἰρήκαμεν τοὺς Κελτούς. "Statim ergo trans Rhenum, poſt *Cel-*" *ticos* populos orientem verſus, ſita loca *Germani* inco-" lunt, a *Celtis* parum differentes. Cætera ſimiles Celta-" rum, de quibus diximus." Et Libr. II. (y) καὶ νῦν δ' εἰρήσθω, ὅτι καὶ Τιμοσθένης καὶ Ἐρατοσθένης καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ, καὶ τὰ Κελτικά. μυρίῳ δὲ μᾶλλον τὰ Γερμανικὰ καὶ τὰ Βρεττανικά. "Atque in præſentia id a nobis ſit dictum, & Timoſthe-" nem, & Eratoſthenem, & qui eos ætate anteceſſerunt, " plane ignaros fuiſſe Hiſpanicarum, *Celticarumque* rerum; " ac multis modis magis *Germanicarum* & Britannicarum."

DIONYSIUS PERIEGETES in Carmine ſuo Germanos a Celtis ſitu regionis diſtinctim ſeparat, & ita ipſe quoque nomen Celtarum procul a Germanis removet, quando Celtas ſtatim a Pyrenæis montibus, & ad fontes Eridani ſedem habere ſcribit; Germanos autem circa Hercyniam ſylvam collocat, quam notum eſt ex CÆSARE (z) ultra ſpatium 60. dierum late ſe per Germaniam extendiſſe. Ita enim Dionyſius Periegetes: (a) Dionyſius Periegetes.

ἤια

(t) Geogr. Lib. III. & IV. vide ſupra §. 8. (u) Pag. 20.
(x) Pag. 443.
(y) Pag. 149.
(z) Bell. Gall. Lib. VI. cap. 25.
(a) Verſ. 280. ſqq.

. . . . . ῥεῖα τέρμα κιχήσεαι Εὐρωπείης,
Τῆς ἤτοι πυμάτην ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται
Ἀγχοῦ στηλάων μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων,
Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμμένον, ἧχι βορείου
Ὠκεανοῦ κέχυται ψυχρὸς ῥόος, ἔνθα Βρετανοὶ
Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν
Ἑρκυνίου δρυμοῖο παραθρώσκοντες ὀρόγκους
Ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ,
Τῶν δ' ἐπὶ Πυρρηναῖόν ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν
Ἄγχοθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο.

"Facile fines invenies Europæ
„ Cuius videlicet extremo ſub angulo habitant
„ Prope columnas magnanimorum gens Iberorum,
„ In longitudinem continentis verſa, ubi borealis
„ Oceani diffuſum eſt frigidum fluentum, ubi Britanni
„ Albæque gentes habitant martiorum Germanorum,
„ Hercyniæ ſylvæ præterſalientes montium juga:
„ Continentem illam ſimilem eſſe ferunt corio bubulo:
„ Poſt hos autem Pyrenæus mons, & domicilia Celtarum
„ Prope fontes pulchriflui Eridani.

§. XVIII.

Plutarchus

PLUTARCHUS prima ſpecie Germanos videtur Celtas appellare, Celtaſque primævos ex alia plane regione, quam e Gallia, deducere, in vita Camilli (b) ita ſcribens: οἱ δὲ Γαλάται τοῦ Κελτικοῦ γένους ὄντες ὑπὸ πλήθους λέγονται τὴν αὑτῶν ἀπολιπόντες οὐκ ἴσαν αὐτάρκη τρέφειν ἅπαντας ἐπὶ ζήτησιν ἑτέρας ὁρμῆσαι· μυριάδες δὲ πολλαὶ γενόμεναι νέων ἀνδρῶν καὶ μαχίμων, ἔτι δὲ πλείους παῖδων καὶ γυναικῶν ἄγοντες οἱ μὲν ἐπὶ τὸν βόρειον Ὠκεανὸν ὑπερβαλόντες τὰ Ῥιπαῖα ὄρη ῥυῆναι, καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Εὐρώπης κατασχεῖν, οἱ δὲ μεταξὺ Πυρρήνης ὄρους καὶ τῶν Ἄλπεων ἱδρυθέντες ἐγγὺς Σενώνων καὶ Κελτορίων κατοικεῖν χρόνον πολύν· ὀψὲ δ' οἴνου γευσά-

(b) Pag. 135.

γευσάμενοι τότε πρῶτον ἐξ Ἰταλίας διακομισθέντος -- ἀράμενοι τὰ ὅπλα καὶ γονέας ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς Ἄλπεις φέρεσθαι καὶ ζητεῖν ἐκείνην τὴν γῆν, ἣ τοιοῦτον καρπὸν ἀναδίδωσι, -- οἱ δ' ἐμβαλόντες εὐθὺς ἐκράτουν τῆς χώρας, ὅσην τὸ παλαιὸν οἱ Τυῤῥηνοὶ κατεῖχον ἀπὸ τῶν Ἄλπεων ἐπ' ἀμφοτέρας καθήκουσαν τὰς θαλάσσας, ὡς καὶ τοὔνομα μαρτυρεῖ τῷ λόγῳ. "Galli, qui ſunt Celtici „ generis, cum terra ipſorum prægravante multitudine „ alere omnes non valeret, ad novas quærendas ſedes fe- „ runtur profecti. Multa millia juvenum bellicoſorum „ erant, quos longe major ſequebatur puerorum & mulie- „ rum caterva. Horum pars Oceani ſeptentrionalis oras „ ſuperatis Riphæis montibus invaſiſſe, atque ultima inſe- „ diſſe Europæ : pars inter Pyrenæos montes & Alpes ſe- „ dibus poſitis juxta Senones & Celtorios diu habitaviſſe. „ Poſt vino, quod tum primum allatum ex Italia fuit, „ guſtato arreptis armis parentes ſecum trahentes illico „ contendiſſe verſus Alpes, regionem illam, quæ tam „ præſtantem fructum gigneret, quæſituri. -- Primo dein „ impetu totam occupant regionem, quam Thuſci ab Al- „ pibus ad ſuperum inferumque mare pertinentem quon- „ dam tenuerant. Nomina ſunt argumento. „ Huc pertinet, quod Galatas a Celtis accurate diſtinguat : (c) θῆλυ γὰρ ὄντως καὶ ἀγεννὲς τὸ πενθεῖν, γυναῖκες γὰρ ἀνδρῶν φιλοπενθέστεραί εἰσι, καὶ οἱ βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων· -- καὶ αὐτῶν δὲ τῶν βαρβάρων οὐχ οἱ γενναιότατοι Κελτοὶ καὶ Γαλάται, καὶ πάντες οἱ φρονήματος ἀνδρειοτέρου πεφυκότες. "Eſt „ enim revera muliebre, imbecilliſque & degeneris ani- „ mi luctus : & ut ad eum mulieres viris, ita barbari græ- „ cis ſunt propenſiores : -- ac de ipſis barbaris, ſi qui lu- „ ctum exercent, non animoſiſſimi hoc Celtæ, non Galli „ aut qui alii generoſo ſunt ſpiritu, id faciunt. „ Huc pertinet etiam, quod in vita Marii (d) de Cimbris & Teutonibus, qui tempore Marii in Italiam irruperant, ſcribat ;

Roma-

(b) Conſolat. ad Apollonium Tom. II. p. 113. (d) Pag. 411.

Romanos eas gentes credidiſſe Germanicas eſſe, & quidem ex Celtica oriundas : καὶ μάλιϛα μὲν εἰκάζοντο (ſc. οἱ Κίμβροι καὶ οἱ Τεύτονες) Γερμανικὰ γένη τῶν καθηκόντων ἐπὶ τὸν βόρειον Ὠκεανὸν εἶναι τοῖς μεγέθεσι τῶν σωμάτων καὶ τῇ χαροπότητι τῶν ὀμμάτων, καὶ ὅτι Κίμβρους ἐπονομάζουσι Γερμανοὶ τοὺς ληϛάς· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὴν Κελτικὴν διὰ βάθος χώρας καὶ μέγεθος ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάσσης καὶ τῶν ὑπαρκτίων κλιμάτων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα κατὰ τὴν Μαιῶτιν ἐπιϛρέψασαν ἅπτεσθαι τῆς Ποντικῆς Σκυθίας λέγουσι. κἀκεῖθεν τὰ γένη μέμικται - - δι' ὃ καὶ πολλὰς κατὰ μέρος ἐπικλήσεις ἐχόντων κοινῇ Κελτοσκύθας τὸν ϛρατὸν ὠνόμαζον. "Teutones & Cimbros „ Romani ex corporum proceritate & cæſiis oculis maxi-„ me nationes Germanicas coniectabant eſſe Oceanum ſep-„ tentrionalem accolentium, & quod latrones Germani „ Cimbros nominant. Fuerunt etiam, qui Celticam lon-„ gitudine regionis & laxitate ab Oceano & ſeptentrionali-„ bus plagis ad orientem verſus lacum Mæotin vergere, & „ ad Scythiam Ponticam pertinere aſſerebant; atque inde „ commiſtas illas gentes: quapropter etſi diverſa ſingula-„ tim haberent vocabula, communi appellatione exerci-„ tum illum Celtoſcythas appellabant. „

§. XIX.

Reſponſiones.

Hæc tamen omnia nondum ſufficiunt, ut certo poſſit aſſeri, Plutarchum ſub nomine Celtarum *alias etiam nationes* intelligere, præter Gallos Rheno, Alpibus, & montibus Pyrenæis incluſos, & colonos eorum. Multo minus id ratione Germanorum ſolidis argumentis poterit probari. Illa autem verba Plutarchi, quæ ex vita Camilli (e) prolata ſunt, ſi accurate inſpiciantur, ibi non de migratione Celtarum in Galliam, ſed de coloniis Celticis, ex Gallia in alias orbis partes profectis, ſermonem eſſe patebit. Ex LIVIO (f) notum eſt, Tarquinio Priſco Romæ regnante, cum Gallia Celtica multitudine incola-

(e) Pag. 135. (f) Libr. V. cap. 34.

incolarum abundasset, maximam Gallorum manum, Sigoveso & Belloveso ducibus, ex illa Galliæ parte migrasse, novas sibi sedes in aliis orbis regionibus quæsituram. Bellovesus, sumto per Galliam itinere, Alpibusque superatis, in Italiam penetravit, superioremque illius partem, quæ circa Padum est, totam in potestatem redegit. Sigovesus cum suis in Germaniam profectus circa Hercinios saltus terras occupavit, & inter commilitones distribuit. Ex his posterioribus, procedente tempore, novæ iterum coloniæ surrexerunt, quæ per Pannoniam, Græciam, Macedoniam, Thraciam ad ultimas Europæ oras progressæ sunt, indeque in Asiam transierunt; magnamque illius partem a Nicomede, Rege Bithyniæ, obtinuerunt, prout hæc omnia latius explicant JUSTINUS, (g) LIVIUS, (h) & PAUSANIAS; (i) quorum verba infra, ubi de coloniis Celtarum agetur, uberius examinabimus. Jam vero PLUTARCHUS (k) rem eandem, mutatis tantum quibusdam circumstantiis, docere voluerat. Livius migrationem Gallorum ex Gallia Celtica describit. De eadem Plutarchus; Gallos, quorum expeditionem exponit, nominans Γαλάτας τοῦ Κελτικοῦ γένους, Gallos Celtici generis, id est, in ea Galliæ parte ortos, cui primarium nomen Celticæ impositum fuit. Livius, Gallos hos Celtas eodem tempore diversis agminibus profectos esse, unamque eorum partem per Galliam in Italiam penetrasse, superioremque illius partem occupavisse; partem alteram primum in Germaniam, dein ad ultimas Europæ oras processisse, observat. Plutarchus de suis Γαλάταις τοῦ Κελτικοῦ γένους eadem iisdem prope verbis narrat; in eo tantum diversus a Livio, quod ille Gallos Celtici generis, post

(g) Lib. XXIV. c. 6. sqq. & Lib. XXV. c. 11. (h) Lib. XXXVIII. c. 16.

(i) Lib. X. cap. 19. p. 483.
(k) Loc. alleg.

poſt migrationem, e primis ſedibus factam, diu inter Alpes & Pyrenæos montes commoratos eſſe tradat, antequam in Italiam penetrarint; Livius vero Gallos ſuos Celtas ſtatim in Italiam tranſiiſſe referat, nulla, vel certe non diuturna mora, aliis Galliæ partibus facta. Verum differentia hæc non populum, qui emigravit, ſed factæ migrationis circumſtantias reſpicit; maleque adeo concluderes, Livium atque Plutarchum diverſas deſignaſſe gentes, quod diverſis circumſtantiis gentis eiuſdem migrationes retulerint.

§. XX.

Reſponſio ſecunda.

Inſtabit fortaſſe nonnemo, at Plutarchus in Conſolatione ad Apollonium (l) Galatas diligenter diſtinxit à Celtis. Diſtinxit; ne tamen hinc inferas, ſub Celtis eum intellexiſſe Germanos. Verius Plutarchum ſub Galatis Germanos, ſub Celtis Gallos deſignaſſe putares. Nomen Γαλατῶν Germanis nonnunquam a Græcis ſcriptoribus, licet falſo, tributum, ex DIODORO SICULO (m) conſtat, qui Celtas quoque a Galatis diſtinguit, & ſub his Germanos denotat, uti ipſe alibi docet; (n) qua de re nos latius infra. (o) Idem ſane Plutarchus Baſtarnas Γαλάτας vocat, (p) quos TACITUS (q) inter Germanos refert. Plutarchus ita: ὑπεκίνει δὲ (ſcil. ὁ Περσεὺς) καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον ᾠκημένους, οἳ Βαστάρναι καλοῦνται, στρατὸν ἱππότην καὶ μάχιμον. "Sollicitavit etiam Perſeus clam illos, qui ad Danubium accolunt *Galatas*, *Baſtarnæ* dicuntur, gentem equitatu valentem & bellacem." Per Κελτοὺς ſeu Celtas vero a Plutarcho Germanos ullibi deſignatos fuiſſe, nemo facile probabit.

(l) Pag. 113.
(m) Lib. XXV. cap. 3. pag. 883.
(n) Lib. V. Cap. 32. pag. 308.
(o) §. 45.
(p) Vita Pauli Æmilii, pag. 259.
(q) Mor. Germ. cap. 46.

bit. Recepto ſuo nomine eos Γερμανὺς in Vita MARII (r) & in Vita CÆSARIS (s) appellat; vocibus Γαλατῶν & Κελτῶν promiſcue uſus; uti patet ex Vita CAMILLI. (t) Sic etiam unam eandemque regionem nunc Γαλατίαν, nunc Κελτικὴν vocat; uti in Vita POMPEJI. (u) Quodſi quis per Γαλάτας illos, Celtis oppoſitos, Colonias Gallorum in aliis orbis partibus ſedentes, (x) aut ſpeciatim Gallogræcos in Aſia intelligendos, adeoque vel Plutarchum, vel Tacitum in definienda Baſtarnarum origine deceptum fuiſſe profiteri maluerit, ei ego refragaturus ſum nunquam.

Obtorto denique collo huc traheres locum Plutarchi in Vita MARII, (y) ubi Romanos de Cimbris & Teutonis, Germanicis gentibus, crediditſe ait, eos ex Celtica ortas; eandemque Celticam ab extremo Oceano ad paludem Mæotidem uſque extendi. De Celtica enim Plutarchus non ſuam, ſed Romanorum quorundam, novo hoſtium adventu territorum, vagam opinionem narravit. Jam vero clariſſima ſunt Plutarchi verba, quibus tertia vice Celtas a Ger- Reſponſio tertia.

(r) Pag. 411.
(s) Pag. 716. ſeq.
(t) Pag. 135. 136. 137. ſqq.

(u) Pag. 644. coll. cum pag. 714. in Vita Cæſaris.

(x) Et ſic etiam explicari poterit DIOGENES LAERTIUS in Prooemio pag. 1. ſq. ubi Celtas a Galatis diſtinguit: Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους. - - παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους. "Philoſophiam, quod ad rem attinet, a barbaris initia ſumſiſſe " quidam autumant. Perſis enim Magos, Celtis & Galatis Drui- " das & Semnotheos fuiſſe. " Nam Gallos tantum, non etiam Germanos, habuiſſe Druidas, Cæſar de Bello Gall. Libr. VI. c. 13. & 21. refert. In Diogene Laërtio autem nihil de Celtis & Galatis occurrit, ex quo perſpici poſſit, quos ille populos ſub duobus his nominibus denotet. Unde in noſtra hac Diſquiſitione à nobis prætermiſſus eſt ſtudio.

(y) Pag. 411.

Germanis ſolerter diſtinguit. In Vita M. CRASSI (z) inquit: Καίσαρος τὰ ἑσπέρια καὶ Κελτοὺς καὶ Γερμανοὺς καταστρεφομένου καὶ Βρεττανούς. "Cum Cæſar in occidente *&* *Celtas* *&* *Germanos* „ & Britannos ſubigeret. „ – In Vita Cæſaris (a) ita: δεύτερον δὲ πρὸς Γερμανοὺς ἄντικρυς ὑπὲρ Κελτῶν ἐπολέμησεν. (ſc. ὁ Καῖσαρ) " Secunda vice palam *contra Germanos pro Celtis* pugnavit Cæſar. „ Et ibidem: (b) παρασκευὴ δὲ καὶ γνώμη (ſc. ἐν τῷ Καίσαρι) στρατεύειν μὲν ἐπὶ Πάρθους, καταστρεψαμένῳ δὲ τούτους - - εἰς τὴν Σκυθικὴν ἐμβαλεῖν, καὶ τὰ περίχωρα Γερμανοῖς, καὶ Γερμανίαν αὐτὴν ἐπιδραμόντι διὰ Κελτῶν ἐπανελθεῖν εἰς Ἰταλίαν. " Parabat & inſtituebat Cæſar Parthos „ bello petere. His ſubiugatis Scythiam invadere, incur- „ ſatiſque, quæ *Germanis* circumiecta ſunt, ac ipſa *Germa-* „ *nia* per *Celtas* regredi in *Italiam*. „ Niſi ergo Plutarchum contradictionis arguere, & loca, quæ facile poſſunt conciliari, in alienum plane ſenſum detorquere velis, fateberis, nec Scriptores, qui præceſſerunt Plutarchum, nec ipſum Plutarchum, Germanos unquam nomine deſignaſſe Celtarum.

§. XXI.

Arrianus. Plutarchum excipit ARRIANUS, quem meliori, quam præcedentes, jure inter eos referas, qui nomen Celtarum tribuunt Germanis. Iſtrum certe fluvium, in Germania ſcaturientem, in Celticis oriri, & plures per gentes Celticas fluere tradit: (c) ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τριταῖος ἀφικνεῖται Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλείστην γῆν ἐπερχόμενον, καὶ ἔθνη μαχιμώτατα ἀπείργοντα, τὰ μὲν πολλὰ Κελτικά, ἔνθεν γε καὶ αἱ πηγαὶ αὐτῷ ἀνίσχουσιν. " Tertio poſt hanc pu- „ gnam die Alexander ad Iſtrum fluvium pervenit, „ omnium, qui in Europa ſunt, maximum, qui ampliſſi- „ mum terræ tractum alluit, & per gentes bellicoſiſſimas fluit,

(z) Pag. 567.
(a) Pag. 716.
(b) Pag. 735.
(c) De Expedit. Alex. M. Lib. I. c. I. pag. 8.

fluit, inprimis per Celticas, in quibus etiam fontes eius,, oriuntur.,, Eadem quidem Herodotum & Ariſtotelem (d) de Iſtro fluvio referre, neque tamen propterea Germanos per Celticam, ſed revera Gallos deſignaſſe, ex ipſis eorum verbis oſtenſum eſt. In Arriano autem non indicii reperio ſatis, ut indubitanter profitear, eodem illum, quo Herodotus & Ariſtoteles errore, fontes Iſtri ex Gallia derivare. Quin & APPIANUS, qui alias Κελτοὺς & Γαλάτας, ut ſynonyma, jungit, vocibus illis denotans Gallos, (e) in ſuo tamen de bellis Illyricis (f) Libro, Galatas a Celtis diſtinguit: φασὶ δὲ -- Πολυφήμῳ τῷ Κύκλωπι καὶ Γαλατείᾳ Κελτὸν καὶ Ἰλλύριον καὶ Γάλαν παῖδας ὄντας ἐξορμῆσαι Σικελίας, καὶ ἄρξαι τῶν δι' αὐτοὺς Κελτῶν Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατῶν λεγομένων. "Aſſerunt vero Polyphemo Cy-,, clopi ac Galateæ Celtum, Illyrium & Galan filios exti-,, tiſſe, eoſque ex Sicilia progreſſos Celtis, & Illyriis, &,, Galatis ab ipſis nomen aſſumentibus imperitaſſe.,, Idem in Præfatione per Celtas ſe Germanos intelligere oſtendit, ubi nonnullos ex transrhenanis Celtis Romanorum imperio quoque parere aſſerit: ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ποταμοὶ δύο Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος μάλιστα τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ὁρίζουσι· καὶ τούτων μὲν Ῥῆνος ἐς τὸν βόρειον Ὠκεανὸν, Ἴστρος δὲ ἐς τὸν Εὔξεινον Πόντον καταδιδοῖ. περάσαντες δὲ πη καὶ τούσδε Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ῥῆνον ἄρχουσιν ἐνίων, καὶ Γετῶν τῶν ὑπὲρ Ἴστρον, οὓς Δακοὺς καλοῦσιν. "In Europa duo maxime fluvii Romanorum im-,, perium finiunt, Rhenus & Danubius: horum Rhenus in,, ſeptentrionalem Oceanum, Danubius in Euxinum Pon-,, tum evolvitur. Alicubi tamen trans hos quoque amnes,, *Celtis transrhenanis* nonnullis imperant, & Getis ultra,, Danubium, quos ipſi Dacos nominant.,, Appianum vero per Κελτοὺς hoc in loco deſignare Germanos, eo indubitatius eſt, quod communi conſenſu limitem verſus occa-ſum

Appianus notatur.

(d) Supra §. IV. & V. (e) §. I. & X. de Bellis Annibalis p. 545. (f) Pag. 1194.

ſum Germanis Rhenum dederunt Romani; cujus rei STRABO, (g) MELA, (h) TACITUS, (i) DIO, (k) aliique ſunt teſtes. Ita Cimbros inter Celtas refert APPIANUS: (l) ὁ μὲν Ἀπουλήϊος νόμον ἐσέφερε διαδάσασθαι γῆν, ὅσην ἐν τῇ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένῃ Γαλατίᾳ Κίμβροι, γένος Κελτῶν, κατειλήφεσαν. "Apulejus legem promulgabat, de dividendis tot agris, „quot in terra, quæ nunc a Romanis Gallia dicitur, „*Cimbri*, *gens Celtica*, occupaverant.„ Et de bellis Illyricis (m) de Κελτοῖς τοῖς Κίμβροις λεγομένοις, *Celtis*, *quos Cimbros vocant*, facit mentionem. Cimbros autem Germanos fuiſſe, TACITUS, (n) aliique magno numero agnovere ſcriptores.

§. XXII.

Item Pauſanias.

PAUSANIAS quoque nomen Celtarum Germanis dare videtur, (o) ubi eam modo Celtarum partem ſibi ſubjeciſſe Romanos ait, quæ digna imperio videbatur, reliqua vero Celtarum, cum occupare potuiſſent, ob nimium frigus & terræ ſterilitatem neglexiſſe conſulto. Ῥωμαίοις δὲ Θρᾴκη τε πᾶσά ἐστιν ὑποχείριος· καὶ Κελτῶν, ὅσον μὲν ἀχρεῖον νομίζουσι διά τε ὑπερβάλλον ψῦχος, καὶ γῆς φαυλότητα, ἑκουσίως παρῶπται σφίσι· τὰ δὲ ἀξιόκτητα ἔχουσι καὶ τούτων. "Romanis vero Thracia tota ſubjecta eſt, „& Celtarum tantum, quantum judicaverunt imperio „ſuo dignum; reliqua eorum, quæ nulli uſui viſa ſunt, „quod aut immodicis frigoribus, aut ſoli ſterilitate laborarent, conſulto miſſa fecerunt.„ Hæc neque de Italis, neque de Hiſpanis, nec de Gallis, nec Pannonibus intelligi poſſunt, quod Pauſaniæ temporibus, ſub Antoninis Imperatoribus,

(g) Lib. VII. princip.
(h) Lib. III. cap. 3.
(i) Mor. Germ. cap. 1.
(k) Lib. XXXIX. pag. 113.
(l) Lib. I. de Bell. Civ. pag. 625.
(m) Pag. 1196.
(n) Mor. Germ. cap. 37.
(o) In Atticis Lib. I. cap. 9. p. 22.

ratoribus, omnes illi populi jam in Romanorum poteſtate fuerunt. (p)

Ptolemæus vindicatur.

PTOLEMÆUS in Geographia ſua Celtogalatiam a Germania probe diſtinguit, (q) eam in Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam & Narbonenſem diſtribuens; atque deinceps (s) in Anacephalæoſi ejuſdem Tabulæ orientalem Celtogalatiæ limitem Germaniam conſtituit: Ὁ τρίτος πίναξ τῆς Εὐρώπης περιέχει τὰς Γαλλίας ἐν τέτρασιν ἐπαρχίαις, - - περιορίζεται δὲ ὁ πίναξ ἀπὸ μὲν ἀνατολῶν Γερμανίᾳ μεγάλῃ, Ἰταλίᾳ καὶ Ῥαιτίᾳ. "Tertia Europæ tabula continet Gallias in quatuor provinciis. Circumſcribitur autem tabula ab ortu Italia, & Rhætia ac Germania." Imo & in Τετραβίβλῳ ſuo Celticam a Germania diſcernit, inquiens: (t) ἐν δὲ τῇ τοιαύτῃ διατάξει τὰ μὲν ἄλλα μέρη τοῦ πρώτου τῶν τεταρτημορίων, λέγω δὲ τοῦ κατὰ τὴν Εὐρώπην τὰ πρὸς βορρόλιβα κείμενα τῆς οἰκουμένης συνοικειοῦται μὲν τῷ βορρολιβικῷ △ τῷ κατὰ τὸν ♈ καὶ ♌ καὶ ♐ - - ἐστι δὲ ταῦτα καθ' ὅλα ἔθνη λαμβανόμενα, Βρεττανία, Γαλατία, Γερμανία, Βασαρνία, Ἰταλία, Γαλία, Ἀπυλία, Σικελία, Τυῤῥηνία, Κελτικὴ, Ἱσπανία. "Quibus ad hunc modum diſtributis primi quadrantis Europæi ſuperiora loca, quæ ſita ſunt in totius terræ diviſione inter ſeptentrionem & occaſum, conciliantur borrolybico triangulo. In hoc per univerſum ſunt Britannia, Gallia, *Germania*, Baſtarnia, Italia, Gallia Togata, Apulia, Sicilia, Tyrrhenia, *Celtica*, Hiſpania."

§. XXIII.

Dio Caſſius adverſatur.

ATHENÆUS nullo indicio prodit, Celtarum nomine eum compellare Germanos. At in DIONE CASSIO novi hujus

(p) Appianus in Præfat.
(q) Tab. 3. Europæ, Lib. II. cap. 7.
(s) Lib. VIII. pag. 224.
(t) Lib. II. fol. 16. b.

hujus ſignificatus plura próſtant exempla. Ὁ δὲ δὴ, inquit, (u) Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτήν· ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται, καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ὠκεανὸν ἐμβάλλει. "Rhenus ex Alpibus Celticis paulo ſupra Rhæ-„tos oritur; inde verſus occidentem profluens, ad ſini-„ſtram, Galliam ejuſque incolas; ad dextram Celtas dividit, tandemque in Oceanum exit.„ Alibi: (x) Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγὰς, τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. "Celtæ quidam, „quos etiam Germanos vocamus, cum omnem Celti-„cam, quæ ad Rhenum eſt, occupaſſent, effecerunt, ut „illa Germania vocaretur, & quidem ſuperior, quæ Rhe-„ni fontibus proprior eſt, inferior, quæ ab hac uſque ad „Oceanum Britannicum ſe extendit.„ Idem DIO (y) Cattos, quos Germanos fuiſſe ex TACITO (z) notum eſt, Celtas vocat: τὰ δὲ δὴ τῶν Κελτῶν τῶν τε ἄλλων καὶ τῶν Χάττων -- ὁ Δροῦσος τὰ μὲν ἐκάκωσε, τὰ δὲ ἐχειρώσατο. "*Celtarum* cum alios „tum *Cattos* quoque Druſus partim infeſtavit, partim ſub-„egit.„ Denique (a) Tiberium A. V. C. 759. expeditionem in Celtas ſuſcepiſſe, & ad Albim fluvium uſque in ea expeditione progreſſum eſſe ſcribit: ταῦτά τε ἅμα ἐγίγνετο, καὶ ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἐστράτευσαν μὲν καὶ ἄλλοι τινὲς, ἐστράτευσε δὲ καὶ ὁ Τιβέριος, καὶ μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλβίου προεχώρησεν. "In Celtas expeditionem cum alii, tum Tibe-„rius fecit, progreſſuſque eſt primo ad Erygrum, dein „ad Albim fluvios.„ Sic per κελτικὴν manifeſte Germaniam aliis quoque in locis denotat. (b) Tenchteros & Uſipetes gentes Celticas Rhenum tranſiiſſe, & in Galliam irrupiſſe

(u) Lib. XXXIX. p. 113.
(x) Lib. LIII. p. 503. ſq.
(y) Lib. LIV. p. 546.
(z) Mor. Germ. c. 30. (a) Lib. LV. p. 567. (b) Lib. LV. p. 568. Lib. LVI. p. 582. & 586. Lib. XXXIX. p. 112.

pisse refert: Χειμαζόντων δὲ τῶν Ῥωμαίων ἐν τῇ φιλίᾳ, Τεγκτηροί τε καὶ Οὐσιπέται Κελτικὰ γένη, τὸ μέν τι πρὸς Σουήβων ἐκβιασθέντες, τὸ δὲ καὶ πρὸς τῶν Γαλατῶν ἐπικληθέντες, τόν τε Ῥῆνον διέβησαν, καὶ ἐς τὴν τῶν Τρηούηρων ἐνέβαλον. "Cum autem apud socios in hibernis,, Romani essent, *Tenchteri & Usipetes*, *Celticæ gentes*,, cum quod a Suevis exacti, tum quod a Gallis accer-,, siti essent, Rhenum transgressi in Trevirorum fines,, pervenerunt.,, Hos autem populos Cæsar testis hujus expeditionis præsens, Germanos vocat: (c) "Cn. Pompe-,, jo, M. Crasso Coss. Usipetes Germani, & item Tench-,, teri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum,, transierunt.,, Dio Celtas a Gallis diserte distinguit; ubi de Rheno fluvio scribit: (d) ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτὴν, ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται, "ad sini-,, stram Galliam, ejusque incolas, ad dextram Celtas di-,, vidit.,, De Celtis & Gallis inter prætorianos conscriptis ita loquitur: (e) ἐπειδή τε συχνοὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ Γαλάται καὶ Κελτοὶ, οἱ μὲν ἄλλως ἐπιδημοῦντες, οἱ δὲ καὶ ἐν τῷ δορυφορικῷ στρατευόμενοι ἦσαν. "Et,, quia complures *Galli ac Celtæ* Romæ observabantur, par-,, tim peregrinantes, partim inter prætorianos militantes.,, Dioni itaque Cassio familiare est, Germanis nomen Celtarum tribuere. In STEPHANO BYZANTINO autem exempla hujus generis nulla reperio. Superest SUIDAS; de quo supra (f) professus sum, eum quoque profiteri, quod nomine Celtarum Germanos intelligat. Re ipsa autem deinceps in contraria delabitur, ubi sub nomine Celtarum exempla tantum profert de Gallis.

§. XXIV.

Scriptores Latini. Scriptores Latini, apud quos rarum vocis Celtarum usum esse diximus, (g) nisi ubi tertiæ tantum partis Gal- liæ.

(c) Bell. Gall. L. IV. cap. 1.
(d) Lib. XXXIX. p. 113.
(e) Lib. LVI. pag. 585.
(f) §. XIV.
(g) §. XV.

liæ incolas denotant, multo minus eam ad Germanos extendunt. Cæsar ipse, quem Gallorum Celtarumque nomen pro uno eodemque habere vidimus, (h) Gallos a Germanis, Galliamque a Germania constanter disterminans, Celtas ab iisdem disterminasse censendus est. Distinguit eos finibus, ubi Rhenum fluvium Galliam a Germania dividere asserit: (i) " Belgæ proximi sunt Germa„nis, qui trans Rhenum incolunt.„ Paulo post: (k) " Undique loci natura tuti Helvetii continentur, una ex „ parte flumine *Rheno*, latissimo atque altissimo, *qui agrum* „ *Helvetium a Germanis* dividit.„ Denique: (l) Paulatim au„tem *Germanos Rhenum transire*, & in *Galliam* magnam eo„rum multitudinem venire, populo Romano periculo„sum videbat.„ Distinguit natura soli & victus consuetudine. Divitiacus enim Æduus, adeoque ipse Gallus, de Germanis, qui Sequanicos agros occupaverant, ita loqui„tur: (m) Horum primo circiter millia xv. Rhenum „transisse, posteaquam agros & cultum & copias Gallo„rum homines feri ac barbari adamassent.„ Et paulo post: „ Neque enim conferendum esse Gallicum cum Germano„rum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa „comparandam.„ Pertinet huc quoque locus, (n) ubi diversitatem morum Galliæ & Germaniæ incolarum exponit: " Quoniam ad hunc locum perventum est, non alie„ num esse videtur de Galliæ Germaniæque moribus, & quo „ differant eæ nationes inter sese proponere.„ Cum dein mores Gallorum descripsisset, (o) subjungit: " Germani „ multum ab hac consuetudine differunt.„ Et Germanorum „dein mores describere pergit: Distinguit denique lingua,

(h) Ad §. XV.
(i) Bell. Gall. Lib. I. cap. 1.
(k) Cap. 2.
(l) Lib. I. cap. 33.
(m) Bell. Gall. Lib. I. cap. 31.
(n) Lib. VI. à cap. 11. usque ad 29.
(o) Usque ad cap. 21.

gua; non tantum dialecto, sed genio diversa. De ARIOVISTO ait: (p) "Visum est, C. Valerium Procillum ad „ eum mittere - - propter linguæ gallicæ scientiam, qua „ multa jam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur. „ De Celticæ Linguæ peritia, quam Ariovistus, xv. annos „ in Gallia commoratus, acquisivit, aliter locuturus fuisset Cæsar, si a Germanica lingua tantum discrepasset dialecto. Diversum plane a Teutonico Celticum idioma fuisse, alibi (q) fusius probavi.

§. XXV.

Alii Celtæ nulli.

Superest, ut breviter quoque dispiciamus, an præter Gallos & Germanos alia quoque forsitan natio a veteribus *Celtæ* vocetur. Apud Latinos equidem hujus rei nihil reperio. Nec inter Græcos facile repereris aliquem, qui præter Gallos & Germanos aliam gentem appellaverit *Celtas*. Hi enim & ipsi Celtas ab Hispanis, Britannis, Italis, Illyriis, Scythis, Thracibus, Græcis, aliisque Europæis distinxerunt plerumque. Distinxit jam Plato ab Hispanis, Thracibus & Scythis: (r) μέθης δὲ αὐτῆς πέρι, πότερον, ὥσπερ Σκύθαι χρῶνται καὶ Πέρσαι, χρηστέον, καὶ ἔτι Καρχηδόνιοι, καὶ Κελτοὶ, καὶ Ἴβηρες, καὶ Θρᾶκες. "De ipsa ebrietate quæstio est, illius ne usus, „ qualis apud *Scythas* & Persas invaluit, permittendus sit, „ & qualis etiam apud Carthaginenses, *Celtas*, & *Hispanos*, „ & *Thraces*. „ Aristoteles a Scythis & Thracibus (s) quoque Celtas discernit: ἐν τοῖς ἔθνεσι πᾶσι τοῖς δυναμένοις πλεονεκτεῖν ἡ τοιαύτη τετίμηται δύναμις, οἷον ἐν Σκύθαις, καὶ Πέρσαις, καὶ Θρᾳξὶ, καὶ Κελτοῖς. "In illis gentibus, quæ plura obtinere, & superiora habere possunt, hujusmodi potentia plurimi sit, ut apud „ Scy-

(p) Lib. I. cap. 47.
(q) Alsatiæ Illustr. Tom. I. p. 89.
(r) Lib. I. Legum p. 637.
(s) Lib. VII. c. 2. de Republ. Tom. III. Opp. pag. 571.

Scythas, & Perſas, & *Thraces*, & *Celtas*. „ Eodem modo Celticam ab Illyrico, Thracia, Epiro & Scythia (t) diſcernit: ἐν τῇ Ἰλλυρίδι, καὶ τῇ Θρᾴκῃ, καὶ τῇ Ἠπείρῳ οἱ ὄνοι μικροί. ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίνονται. "In *Illyrico*, *Thracia*, & „ *Epiro* aſini ſunt parvi: in *Scythia* & *Celtica* ſunt plane nul„li. „ Imo etiam diſtinxit ab Italia & Hiſpania: (u) ἐκ τῆς Ἰταλίας φασὶν ἕως τῆς Κελτικῆς, καὶ Κελτολιγύων, καὶ Ἰβήρων εἶναί τινα ὁδὸν Ἡρακλείαν καλουμένην. "Ex *Italia* ferunt viam uſque ad *Celti*„*cam*, Celtoligures, & *Hiſpanos* protendi, Heracleam „ vocant.

Polybio.

POLYBIUS Celtas ab Hiſpanis, (x) itemque a Macedonibus, Liguribus, Italis in formula fœderis, inter Carthaginenſes & Macedones icti, (y) ſejungit: ἵνα σωζομένους ὑπὸ βασιλέως Φιλίππου, καὶ Μακεδόνων κυρίους Καρχηδονίους, καὶ Ἀννίβαν τὸν στρατηγὸν -- καὶ πάσας πόλεις καὶ ἔθνη, πρὸς ἃς ἐστιν ἡμῖν ἡ τε φιλία τῶν ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Κελτίᾳ, καὶ ἐν τῇ Λιγυστινῇ. "A Philippo & „ *Macedonibus* ſalus propugnator dominorum Carthagi„nienſium, & Hannibalis Imperatoris -- & omnium ci„vitatum ac nationum, amicitia nobis junctarum, in *Italia* „ & *Celtica* & *Liguria*. „ Porro: ἔσται δὲ Φίλιππος ὁ βασιλεὺς, καὶ Μακεδόνες -- σωζόμενοι καὶ φυλαττόμενοι ὑπὸ τῶν Καρχηδονίων συστρατευομένων -- καὶ ὑπὸ πάντων ἐθνῶν καὶ πόλεων, ὅσα ἐστὶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Κελτίᾳ καὶ Λιγυστινῇ. "Philippi Regis & *Macedonum* ſalus propugnator, atque „ ipſi conſervator a Carthaginenſium exercitibus -- omni„bus denique gentibus & civitatibus, quæ per *Italiam*, „ *Celticam* & *Liguriam* ſocietate nobis junctæ.

Diodoro Siculo.

DIODORUS SICULUS quoque Celticam ab Hiſpania diſtinguit: (z) ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς τῶν μὲν Ἰβήρων παρέδωκε τὴν βασιλείαν

(t) Lib. VIII. Hiſt. Animal. c. 28. Tom. II. Opp. pag. 406.

(u) De mirabil. Auſcult. Tom. II. pag. 724.

(x) Lib. III. p. 267. confer. ſupra §. VI. ubi verba ipſa protulimus.

(y) Lib. VII. p. 700. ſq.

(z) Lib. IV. cap. 19. p. 226. ſq.

θείαν τοῖς ἀρίστοις τῶν ἐγχωρίων, αὐτὸς δ' ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν, καὶ καταντήσας εἰς τὴν Κελτικὴν ἔκτισε πόλιν εὐμεγέθη. „ Hercules *Hispaniæ* regno viris inter populares optimis tradito cum exercitu „ in *Celticam* perrexit, & præclaræ urbem magnitudinis „ extruxit. „

§. XXVI.

DIONYSIUS HALICARNASSENSIS Celtas ab Hispanis, Scythis, Thracibus, ut & Græcis separat: (a) διπλοῦν δὲ τὸ ἔθνος, Ἕλλην ἢ βάρβαρος. μετὰ τὸ κοινὸν ἐρχόμεθα ἐπὶ τὸ ἴδιον. Ἀθηναῖος ἢ Λάκων, ἢ Βοιωτὸς, ἢ Ἴων, ἢ Σκύθης, ἢ Θρᾷξ, ἢ Κελτὸς, ἢ ἀπὸ Ἰβηρίας, καὶ Αἰγύπτιος. "Duplex vero est natio; nam aut „ *Græcus* est, aut barbarus quis: a genere transeamus ad „ species, vel est *Atheniensis*, vel *Lacedæmonius*, vel *Bæotus*, vel *Jon*, vel *Scytha*, vel *Thrax*, vel *Celta*, vel *Hispanus* vel *Ægyptius*. „ Et ab Italis & rursus ab Hispanis, (b) ubi de urbe Roma inquit: καὶ θαῦμα μὲν τοῦτο πολλοῖς ἂν εἶναι δόξειε τὰ εἰκότα λογισαμένοις, πῶς οὐχ ἅπαξ ἐξεβαρβαρώθη, Ὀπικούς τε ὑποδεξαμένη, καὶ Μαρσοὺς καὶ Σαυνίτας, καὶ Τυῤῥηνοὺς καὶ Βρεττίους. Ὀμβρικῶν τε καὶ Λιγύων καὶ Ἰβήρων καὶ Κελτῶν συχνὰς μυριάδας. "Et hoc quidem reputantibus mirum admodum videri potest, urbem non „ omnino barbaram esse redditam post receptos Opicos, „ Marsos, Samnites, Etruscos, Brutios; & Umbrorum, & Ligurum, & Hispanorum, & Celtarum multa millia. „

Dionysio Halicarn.

STRABO, dum limites Celticæ eosdem ponit cum Galliæ limitibus, (c) uti supra (d) ostensum est, eo ipso Celtas ab aliis Europæ nationibus, & Celticam speciatim ab Hispania (e) separat: καὶ περὶ μὲν τῆς Ἰβηρίας ταῦτα, ἐφεξῆς δ' ἐστὶν

Strabone.

(a) Art. Rhetor. p. 118.
(b) Antiquit. Romanor. Lib. I. p. 73.
(c) Lib. IV. p. 266. & Lib. II. p. 189.
(d) §. VIII.
(e) Lib. III. pag. 265. & Lib. IV. p. 266.

ἐςὶν ἡ ὑπὲρ Ἄλπεων Κελτική. " Ac hæc quidem de *Hiſpania*. Illi „ contigua eſt *Celtica* transalpina. „ Et Celtas a Getis, ab Illyriis, & Thracibus: (f) Βοιρεβίστας ἀνὴρ Γέτης -- τὺς Κελτὺς τὺς ἀναμεμιγμένυς τοῖς τε Θρᾳξὶ καὶ τοῖς Ἰλλυρίοις ἐξεπόρθησε. " Bœrebiſtas, „ natione *Geta*, *Celtas*, *Thracibus* & *Illyriis* permixtos, vaſta- „ vit. „ A Scythis & iterum a Thracibus: (g) Κοινὰ δὲ καὶ ταῦτα πρὸς τὰ Κελτικὰ ἔθνη, καὶ τὰ Θρᾴκια καὶ Σκυθικά. „ Et hæc „ quoque illis (ſc. Hiſpanis) communia ſunt cum *Celtis*, „ *Thracibus*, & *Scythis*. „ A Græcis & Macedonibus, ab Hiſpanis, ut & rurſus ab Illyriis & Thracibus eos ſeparat his verbis: (h) Καὶ Ἰλλυριῶν δὲ καὶ Θρᾳκῶν οἱ πλησιόχωροι τοῖς τε Ἕλλησι καὶ Μακεδόσιν ἀρχὰς ἔλαβον τῦ πρὸς Ῥωμαίυς πολέμυ, καὶ διετέλεσαν πολεμῦντες μέχρι καταλύσεως ἁπάντων τῶν ἐντὸς Ἴςρυ, καὶ τῶν ἐντὸς Ἅλυος. Τὰ δ' αὐτὰ ἔπαθον καὶ Ἴβηρες καὶ Κελτοὶ καὶ ἅπαντες οἱ λοιποὶ, ὅσοι Ῥωμαίων ὑπακύυσι. "Quin & *Illyrii* & *Thraces* propinqui cum *Græcis*, „ tum *Macedonibus* inde initia belli contra Romanos du- „ xerunt: neque finis fuit belli gerendi, ante quam omnia, „ intra Iſtrum & Halyn ſita, Romani ſuæ fecerunt ditionis. „ Eadem acciderunt *Hiſpanis* & *Celtis*, & aliis, quicunque „ Romanorum imperio parent. „ A Britannis denique rurſuſque ab Hiſpanis: (i) Τιμοσθένης καὶ Ερατοσθένης, καὶ οἱ ἔτι τύτων πρότεροι τελέως ἠγνόυν τάτε Ἰβηρικὰ καὶ τὰ Κελτικὰ, μυρίῳ δὲ μᾶλλον τὰ Γερμανικὰ καὶ τὰ Βρεττανικά. „ Timoſthenes & Eratoſthenes, & „ qui eos ætate anteceſſerunt, plane ignari fuerunt *Hi-* „ *ſpanicarum Celticarumque* rerum, ac multis modis magis *Germanicarum* & *Britannicarum*.

§. XXVII.

Dionyſius Periegetes. DIONYSIUS PERIEGETES in Carmine ſuo (k) Celtas ab Hiſpanis & Britannis diſtinguit. Verba ejus jam

§. XVII.

(f) Lib. VII. p. 465.
(g) Lib. III. p. 250.
(h) Lib. VI. pag. 439.
(i) Lib. II. p. 149. (k) Verſ. 280. ſqq.

§. XVII. protulimus. PLUTARCHUS a Græcis in Consolat. ad Apollonium, (l) ubi: γυναῖκες γὰρ ἀνδρῶν φιλοπενθέστεραί εἰσι, καὶ οἱ βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων - - καὶ αὐτῶν δὲ τῶν βαρβάρων οὐχ οἱ γενναιότατοι Κελτοὶ καὶ Γαλάται. "Ad luctum mulieres viris & barbari *Græcis* sunt propensiores, - - ac inter ipsos barbaros, non quidem fortissimi *Celtæ* & Galatæ." A Britannis, Scythis & Italis in Vita M. CRASSI (m) & CÆSARIS; (n) quæ duo loca §. XX. reperis. Sic Celticam quoque distinguit ab Illyrico in Vita CÆSARIS: (o) Πομπήϊος δὲ συνεπεκύρου τῷ δήμῳ τοὺς νόμους· Καίσαρι δὲ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων, καὶ τὴν ἐκτὸς ἅπασαν Κελτικὴν προσθεὶς τὸ Ἰλλυρικόν. "Pompejus autem leges populo firmavit, Cæsari vero effecit, ut Celtica cis & transalpina omnis adjuncto Illyrico decerneretur." Plutarchus

ARRIANUS distinguit Celtas ab Hispanis, Scythis, ut & mediæ inferiorisque Italiæ populis, Tyrrhenis, Lucanis, Brutiis: (p) κατιόντι δὲ αὐτῷ (sc. Ἀλεξάνδρῳ) ἐς Βαβυλῶνα, Λιβύων τε πρεσβεῖαι ἐντυγχάνουσιν ἐπαινούντων τε καὶ στεφανούντων ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ τῆς Ἀσίας· καὶ ἐξ Ἰταλίας Βρέττιοί τε καὶ Λευκανοὶ καὶ Τυρρηνοὶ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐπρέσβευον, καὶ Καρχηδονίους τότε πρεσβεῦσαι λέγεται, καὶ ἀπὸ Αἰθιόπων πρέσβεις ἐλθεῖν, καὶ Σκυθῶν τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης καὶ Κελτοὺς καὶ Ἴβηρας, ὑπὲρ φιλίας δεησομένους. "Dehinc Babyloniam petenti Alexandro Afrorum legati occurrerunt, gratulantes coronisque eum redimientes ob acquisitum Asiæ imperium. Ex *Italia* quoque *Brutii*, *Lucani* ac *Tusci* eadem de causa legatos miserunt. Idem & Carthaginenses fecisse dicuntur: venisse etiam ferunt a Scythis, Europam incolentibus; a *Celtis* etiam & *Hispanis*, omnes amicitiam ejus petituros." Itidem a Triballis: (q) ἐνταῦθα ἀφίκοντο πρέσβεις ὡς Ἀλέξανδρον - - παρὰ Σύρμου Arrianus.

(l) Tom. II. p. 113.
(m) Pag. 567.
(n) Pag. 735.
(o) Pag. 714. (p) Libr. VII. de expedit. Alexandri c. 3. p. 475.
(q) Libr. I. cap. 1. pag. 11.

Σύρμυ τῦ Τριβαλλῶν βασιλέως καὶ παρὰ Κελτῶν. "Ibi legati ad Alexandrum venerunt - - a Syrmo *Triballorum* rege, & a *Celtis*.

Appianus. APPIANUS diſcernit eos a Græcis, Theſſalis, Macedonibus, Thracibus, Illyriis, Pannonibus, Italis, Hiſpanis & Dacis: (r) καὶ ἐν τῷδε ᾧν τῷ παράπλῳ Ῥωμαίων ὑπήκοα τοσαῦτα, ἔστι Ἑλλὰς πᾶσα, καὶ Θεσσαλία, καὶ Μακεδόνες, καὶ ὅσα πρόσοικα ἄλλα Θρακῶν καὶ Ἰλλυριῶν, καὶ Παιόνων ἔθνη, αὐτή τε Ἰταλία - - ἀπὸ τῦ Ἰωνίυ παρήκυσα μέχρι Κελτῶν, ὓς αὐτοὶ Γαλάτας προσαγορεύυσι - - Ἰβηρία τε πᾶσα. Et iterum: (s) Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ῥῆνον ἄρχυσιν ἐνίων (ſcil. οἱ Ῥωμαῖοι) καὶ Γετῶν τῶν ὑπὲρ Ἴςρον, ὓς Δακὺς καλῦσιν. "Et in hoc maris itinere „ Romanis ſubdita deprehenduntur *Græcia* univerſa, *Theſ-*„*ſalia*, *Macedonia*, tum reliqua Thraciæ finitima, & *Illy-*„*ricum* ac *Pannoniæ*, ipſa denique *Italia* ab Jonio mari ten-„dens uſque ad *Celtas*, quos Romani Gallos appellant; „ univerſa denique *Hiſpania*; *Celtis* transrhenanis nonnullis „ imperant Romani, ut & Getis ultra Danubium, quos „ *Dacos* vocant.„

§. XXVIII.

Ptolemæus PTOLEMÆUS Celticam ab Hiſpania, Britannia, Baſtarnia, Italia, Thracia, Macedonia, *Illyrico* & Græcia ſeparat: (t) Καὶ τύτων δὲ αὐτῶν τῶν χωρῶν Βρεττανία μὲν καὶ Γαλατία, καὶ Γερμανία, καὶ Βαςαρνία μᾶλλον τῷ ♈ συνοικειῦνται, καὶ τῷ τῦ ♂ ὅθεν ὡς ἐπίπαν οἱ ἐν αὐτοῖς ἀγριώτεροι καὶ αὐθαδέςεροι καὶ θηριώδεις τυγχάνυσιν. Ἰταλία δὲ καὶ Ἀπυλία, Γαλλία καὶ Σικελία τῷ ♌ καὶ τῷ ☉ διόπερ ἡγεμονικοὶ μᾶλλον ὗτοι καὶ εὐεργετικοὶ καὶ κοινωνικοί, Τυρσηνία δὲ καὶ Κελτικὴ καὶ Ἱσπανία τῷ τῦ ♐ καὶ τῷ τῦ ♃ ὅθεν τὸ φιλοκάθαρον. τὰ δὲ ἐν τύτῳ μὲν ὄντα τῷ τεταρτημορίῳ, περὶ δὲ τὸ μέσον ἐσχηματισμένα τῆς οἰκυμένης Θράκη τε καὶ Μακεδονία καὶ Ἰλλυρίς, καὶ Ἑλλὰς καὶ Ἀχαΐα καὶ Κρήτη, ἔτι δὲ αἵτε κυκλάδες καὶ τὰ παράλια

(r) In Præfat. p. 3.
(s) Pag. 4.
(t) In Τετραβίβλῳ Libr. II. fol. 16. b. edit. Norimberg. A. 1535.

παράλια τῆς μικρᾶς Ἀσίας καὶ Κύπρος πρὸς νοταπηλιώτην κείμενα τοῦ ὅλου τεταρτημορίου προσλαμβάνει τὴν συνοικείωσιν τοῦ νοταπηλιωτικοῦ ▽ τοῦ κατὰ τὸν ♉ μὲν τὴν ♍ καὶ τὸν ♑. "Harum ipſarum regionum *Britannia*,,, *Gallia*, *Germania*, *Baſtarnia* prope ſubſunt ♈ & ſtellæ ♂ ,, itaque harum incolæ ſunt communiter feroces, pervica-,, ces, truces. At *Italia*, *Gallia togata*, *Sicilia* ♌ ſubjectæ,, & ☉ præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudent. *Tyrrhe-*,, *nia* vero & *Celtica*, & *Hiſpania* reguntur a ♐ & ſtella ♃,, unde munditiæ ſunt amatores. Reliqua loca hujus qui-,, dem quadrantis, ſed vergentia in medium totius terræ,, *Thracia*, *Macedonia*, *Illyricum*, *Græcia*, *Achaia*, itemque,, *Creta* & inſulæ Cyclades & maritima Aſiæ minoris &,, Cyprus, declivia de quadrante ſuo ad Vulturnum, ad-,, junguntur etiam triangulo huic Vulturni, quod per ♉,, ♍ & ♑ ducitur.,, (u) Contendi quidem aliqua cum ſpecie poſſet, Ptolemæum aliam Europæ regionem in hoc loco deſignaſſe, quod, uti Celticam ab Hiſpania, Britannia, Italia, Thracia, Germania, Illyrico, Macedonia, Græciaque, ſic eandem quoque a Γαλατίᾳ & Γαλλίᾳ diligenter diſcreverit. Sed Γαλλία hic, quæ una cum Italia, Apulia, & Sicilia ſigno ♌ & ☉ regimini a Ptolemæo adſcribitur, Galliam Togatam ſeu Ciſalpinam deſignare poterit. Et huic enim nomen Γαλλίας Ptolemæus imponit Tabula VI. Europæ, quæ Italiam deſcribit & per Γαλατίαν, ut veriſimile eſt, illam partem Galliæ, Κελτικῆς, verſus ſeptentrionem ſitam, quæ Belgica eſt, deſignat; cujus incolas Britannis, Germanis & Baſtarnis ſimiles eſſe genio tradit. Ptolemæum vero per Κελτικὴν, *Celticam*, in Tetrabiblo reliquam Galliam, quam ſuperius nondum per Γαλατίαν deſignaverat, denotaſſe, ex eadem Geographica ejus ὑφηγήσει conſtare poteſt, in qua nulli alii per totum orbem regioni Celti-

(u) Conf. §. XXII. (x) Libr. III. Geogr. cap. 1. pag. 69.

Celticum nomen, Galliæ soli attribuit; quam κελτογαλατίαν vocat, uti §. XI. ostensum; quod indicio est, eum heic quoque nullam aliam in Europa regionem κελτικὴν vocare præter Galliam solam.

Stephanus Byzant. STEPHANUS denique BYZANTINUS Celtas & Celticam ab Hispania (y) discernit: Ἀφροδισιὰς πόλις Ἰβηρίας πρὸς τοῖς Κελτοῖς. "*Aphrodisias urbs Hispaniæ juxta Celtas.*" Urbs hæc in Galliæ Narbonensis & Hispaniæ confinio posita, uti STRABO testatur; (z) unde a Geographis veteribus mox Galliæ, mox Hispaniæ adscribitur. MELA eam in Gallia Narbonensi, (a) PLINIUS in Hispania citeriore, (b) PTOLEMÆUS tam in Hispania Tarraconensi, quam in Gallia Narbonensi (c) collocat. Sed & STEPHANUS Celticam a Britannia (d) secernit: Πρετανική, νῆσος, ἤπειρον μιμουμένη ἀπὸ τῆς Κελτικῆς, οἱ ταύτην οἰκοῦντες Πρετανοὶ καλοῦνται. "*Pretanice*, insula, continentem imitans, sita est a *Celtica*. Qui hanc incolunt, *Pretani* vocantur." Item ab Italia, Thessalia, Macedonia: (e) Ἡράκλεια πόλις ς', Ἰταλίας, ζ', Κελτικῆς, η', Θετταλίας, κγ', Μακεδονίας. "Heraclea urbs sexto *Italiæ*, septimo *Celticæ*, octavo *Thessaliæ*, vigesimo tertio *Macedoniæ*.

§. XXIX.

Argumenta contraria. Neque tamen hæc nubes scriptorum, Celtas ab omnibus Europæis, qui Galli vel Germani non fuerunt, populis distinguentium, omnem rem conficit. Nam PEZRO-

(y) Pag. 200.
(z) Lib. IV. p. 269.
(a) Lib. II. cap. 5.
(b) Lib. III. Histor. natur. cap. 3.
(c) Lib. II. cap. 6. pag. 42. sq. & Lib. II. cap. 10. pag. 54.
(d) Pag. 646.
(e) Pag. 384. sqq.

PEZRONIUM, (f) VELSERUM, (g) CLUVERIUM, (h) & post hos Doctiss. PELLOUTIERIUM, (i) nostra ætate, si audias, Celticæ nomen a multis etiam antiquis Auctoribus toti fuit concessum Europæ. Plinium, Dionysium Halicarnassensem, Strabonem, Plutarchum, Ptolemæum suæ assertionis testes producunt, quos Lectori quoque nostro ante oculos ponimus, a PLINIO (k) ducentes initium. Hic enim ait: "Nunc omnibus, quæ,, sunt interiora Asiæ, dictis Riphæos montes transcendat,, animus, dextraque litori Oceani incedat. - - Ab extre-,, mo Aquilone ad initium orientis æstivi Scythæ sunt. Ex-,, tra eos, ultraque Aquilonis initia Hyperboreos aliqui,, posuere, pluribus in Europa dictos. *Primum inde nosci-,, tur promontorium Celticæ, Lytarmis*, fluvius Carambucis,,, ubi lassata cum siderum vi Riphæorum montium defi-,, ciunt juga.,, Et alibi: (l) "Promontorium Celticum,,, quod alii Artabrum appellavere, terras, maria, cœlum,, disterminans. Illo finitur Hispaniæ latus, & a circuitu,, ejus incipit frons. Septentrio hinc, Oceanusque Galli-,, cus, illinc & Oceanus Atlanticus.,, Ita locum hunc Plinii bene emendavit PINTIANUS. (m) Ex verbis his liquere putares, Plinium Celticæ limites ab Oceano Atlantico & extremis Hispaniæ oris ad orientales Europæ fines proferre, atque ita universam Europam complecti sub Celtica. Quodsi autem oras quasdam ad extremos Europæ fines Plinius Celticas dixit, num ideo vastus omnis, qui oras illas & Galliam interjacet, tractus pro Celtica habendus est. Contrarium ex Plinio ipso addiscimus, qui singulis Europæ regionibus suum peculiare nomen tribuit, nec

Ex Plinio.

(f) Antiquité des Celtes p. 190. sq.
(g) Rerum Boicarum Libr. I. p. 2.
(h) German. Antiq. Lib. I. c. 2. p. 24.
(i) Histoire des Celtes Lib. I. c. 3. pag. 24. sq.
(k) Libr. VI. Histor. Nat. c. 13.
(l) Libr. IV. cap. 20.
(m) Edit. Gronovii A. 1669.

nec ullibi eas communi *Celticæ* appellatione designat. Quin & Plinium eundem alio in loco, (n) Celticam, Bæturiæ, quæ regio in Hiſpania ulteriore ſita, partem conſtituere video. "Quæ autem regio, inquit, a Bæti fluvio „ad Anam tendit extra prædicta, Beturia appellatur, in „duas diviſa partes, totidemque gentes: CELTICOS, qui „Luſitaniam attingunt, Hiſpalenſis conventus, Tardu-„los, qui Luſitaniam & Tarraconenſem accolunt, jura „Cordubam petunt. -- In CELTICA Acinippo, Arunda, „Arunci, Turobrica, Laſtigi, Alpæſa, Sæpona, Serippo.„ Si exiguum modo Hiſpaniæ tractum Plinius Celticam dicit, num idem Celticæ nomine univerſam alibi compellabit Europam.

§. XXX.

Plinius explicatur.

Regiones, quas in variis Europæ partibus Celtæ ex Gallia migrantes ſuis coloniis occuparunt, ex novorum colonorum nomine novum quoque nomen traxerunt. Unde incolas Celticæ, quæ intra Bætim & Anam fluvios eſt, *Celticos* nominat, & a Celtiberis ex Luſitania originem ſuam trahere, idem PLINIUS (o) aſſerit. Ita enim ille: „Celticos a Celtiberis ex Luſitania adveniſſe manifeſtum „eſt, ſacris, lingua, oppidorum vocabulis. -- *In Celtica* „Acinippo, Arunda, &c.„ STRABO (p) hæc aliquo modo confirmat: Ὁ δ' Ἄνας πρὸς νότον ἐπιστρέφει τὴν μεσοποταμίαν ἀφορίζων, ἣν Κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον, καὶ τῶν Λυσιτανῶν τινες ἐκ τῆς περαίας τοῦ Τάγου μετοικισθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων. "Anas verſus meridiem ſe con-„vertit, & interceptam amnibus regionem circumſcri-„bit, quam majore ex parte Celtæ incolunt & Luſitani, „a Romanis e regione trans Tagum ſita eo tranſlati.„ Jam vero Celtiberos ex Celtis, Galliæ incolis in Hiſpaniam profectis,

(n) Lib. III. cap. 1. (o) Loc. alleg. (p) Lib. III. p. 203.

fectis, & cum Iberis ibi permixtis ortos esse testantur ex Latinis LUCANUS: (q)

„ His præter Latias acies erat impiger Astur,
„ Vectonesque leves, profugique a gente vetusta.
„ Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

SILIUS ITALICUS: (r)

„ Venere & Celtæ sociati nomen Iberis.

VALERIUS MAXIMUS (s) refert, nefas apud eos fuisse, prœlio superesse, cum is occidisset, pro cujus salute devovissent spiritum: quod moribus Gallorum exacte convenire ex CÆSARE (t) & ATHENÆO (u) docemur. DIODORUS SICULUS: (x) Ημεῖς δ' ἀρκούντως περὶ τῶν Κελτῶν εἰρηκότες μεταβιβάσομεν τὴν ἱστορίαν ἐπὶ τοὺς πλησιοχώρους τούτοις Κελτίβηρας. οὗτοι γὰρ τὸ παλαιὸν περὶ τῆς χώρας ἀλλήλοις διαπολεμήσαντες, οἵτε Ἴβηρες καὶ οἱ Κελτοὶ, καὶ μετὰ ταῦτα διαλυθέντες, καὶ τὴν χώραν κοινῇ κατοικήσαντες, ἔτι δ' ἐπιγαμίας πρὸς ἀλλήλους συνθέμενοι, διὰ τὴν ἐπιμιξίαν λέγονται ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας. "Postquam de Celtis sufficienter a nobis di-„ ctum est, ad finitimos his Celtiberos historiam transfe-„ remus. Hi duo enim populi, Iberes & Celtæ, cum de„ agris quondam bello disceptarent, pace tandem inita re-„ gionem promiscue incoluere: & contracta mutuis inter„ se connubiis affinitate, commune ex hac permixtione no-„ men accepisse memoratur.„ Similiter APPIANUS: (y) Κελτοί μοι δοκοῦσί ποτε τὴν Πυρήνην ὑπερβάντες αὐτοῖς συνοικῆσαι. ὅθεν ἄρα καὶ τὸ Κελτιβήρων ὄνομα ἐῤῥύη. "Existimo Celtas olim superato„ Pyrenæo Iberis permixtos una habitasse: unde Celtibe-„ rorum

(q) Libr. IV. v. 8. sqq.
(r) Libr. III. v. 340.
(s) Libr. II. cap. 6.
(t) Libr. VI. de Bell. Gall. cap. 22.
(u) Deipnosoph. Libr. VI. c. 13. p. 249.
(x) Libr. V. c. 33. p. 309.
(y) De Bell. Hispan. p. 424.

rorum nomen manavit.„ Et ipſe STRABO (z) Celtiberos a Celtis ortos eſſe tradit: Εἰ γὰρ δὴ (οἱ Ἴβηρες) συνασπίζειν ἐβούλοντο ἀλλήλοις, οὔτε Καρχηδονίοις ὑπῆρξεν ἂν καταστρέψασθαι ἐπελθοῦσι τὴν πλείστην αὐτῶν ἐκ περιουσίας· καὶ ἔτι πρότερον Τυρίοις, εἶτα Κελτοῖς, οἳ νῦν Κελτίβηρες καὶ Βήρωνες καλοῦνται. "Qui (Hiſpani) ſi conjunctis viribus tueri „ ſe voluiſſent, nunquam licuiſſet neque Carthaginenſibus „ incurſione facta majorem Hiſpaniæ partem, nemine pro-„ hibente, ſubigere, neque ante hos Tyriis & *Celtis*, *qui* „ *nunc Celtiberi* & Verones dicuntur.„ Quem ſupra (a) oſtendimus, ſub Celtis nullam aliam, præter Gallos, intelligere gentem. CLUVERIUS (b) quidem Celtibericas has origines rejicit, tot veterum teſtimoniis dubium parvi momenti opponens. Celtiberi ideo ſi vocati ſunt, inquit, quod Celtæ ex Gallia Iberis ſ. Hiſpanis permixti, cur non cæteri quoque Celtæ, præter Celtiberos per Hiſpaniam diffuſi, uti ejuſdem originis, ſic eodem quoque nomine appellati? Parata reſponſio eſt. Celtiberorum appellatio orta, vel quod Celtiberi tam ex Celtis quam Hiſpanis ſ. Iberis originem ducebant, qui mutuis connubiis & affinitate juncti in unam plane gentem coaluerant; cum cæteri Celtæ, in alias Hiſpaniæ partes progreſſi, priſcos Iberos vel plane ejecerint, vel cum eis, ceu victa gente, matrimoniis & affinitate miſceri reputaverint indignum; nativæ hinc appellationis tenaces, quod puri & ab aliorum connubiis intacti permanſerant. Adde Celtiberos ita dictos fortaſſe, quod vel ad Iberum habitarent, vel Hiſpanis, ripam Iberi fluvii accolentibus, miſcerentur; unde aliis Celtis, per reliquas Hiſpaniæ partes diſperſis, Celtiberorum nomen convenire haud potuit. Sed & hanc cauſſam Cluverius evertere tentat, quod PLINII locus, quem adduximus, (c) Celtiberos non modo ad ripam Iberi,

(z) Libr. III. p. 238.
(a) §. VIII. XVII. XXVI.
(b) Germ. antiq. Lib. I. c. 2. p. 25.
(c) Lib. III. Hiſtor. c. 1.

Iberi, ſed in mediam uſque ſe extendiſſe Luſitaniam, indicat. Verum enimvero, præterquam quod STRABO (d) & PTOLEMÆUS, (e) in hac re cum Plinio non conſentiunt, & anguſtiores longe limites Celtiberis aſſignant; tam MELA (f) quam PTOLEMÆUS (g) in Luſitaniæ deſcriptione eos, quos Plinius Celtiberos appellat, Celticos vocant. Hos ergo Geographos cum Plinio conciliare ſi velis, dicendum eſt, Celticos Melæ & Ptolemæi origine quidem Celtiberos fuiſſe, ſed quod ex Celtiberia ſeu regione, Ibero vicina, verſus occidentales Hiſpaniæ regiones & in Luſitaniam ſe contulerant, nomen quoque Celtiberorum, quod non genti tantum, ſed præcipue etiam regioni adhæſit, depoſuiſſe, ſoloque Celticorum nomine ab aliis deſignatos.

§. XXXI.

Idem PLINIUS (h) in citeriore Hiſpania, ad fines Europæ, promontorii Celtici & Celticorum circa illud habitantium, meminit, uti jam §. XXIX. ex parte monſtravimus. "Promontorium, inquit, Celticum, quod alii,, Artabrum appellavere, terras, maria, cœlum diſtermi-,, nans. Illo finitur Hiſpaniæ latus, & a circuitu ejus in-,, cipit frons: ſeptentrio hinc, oceanuſque Gallicus; oc-,, caſus illinc, & oceanus Atlanticus: amnes Florius, Ne-,, lo, Celtici cognomine Neriæ, ſuperque Tamarici, --,, Celtici cognomine Præſamarci, Cileni.,, Ita corruptum hunc inepta verborum transpoſitione locum reſtituit PINTIANUS. (i) Hos autem Celticos Strabo ejuſdem ſanguinis

(d) Lib. III. p. 245.
(e) Lib. II. Tab. 6. p. 46.
(f) Lib. III. cap. 1.
(g) Lib. II. c. 5. p. 41.
(h) Lib. IV. Hiſt. c. 20. (i) In notis ad Plinium edit. Gronov. A. 1669.

guinis esse cum illis Celticis, refert, qui intra Bætim & Anam fluvios habi tabant, de quibus §. præcedente disseruimus. Ita enim ille: (k) ὕςατοι δ' οἰκῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίυ πλευρᾶς καὶ τῆς βορείυ πέρας ἐςί· περιοικῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοὶ, συγγενεῖς τῶν ἐπὶ τῷ Ἄνᾳ. "Ultimi colunt Artabri ad promontorium, quod vocatur Nerium, in quod occidua atque septentrionalis lineá desinunt. Habitant circum Celtici, cognati eorum, qui ad Anam sunt.„ Celtici ergo circa promontorium Nerium vel Celticum quum ejusdem originis fuerint cum illis, qui siti erant ad Anam, & Celtici Bætici alias dicebantur, ut Strabo id docet: Celtici vero Bætici a Celtis in Lusitania, quos Celtiberos Plinius vocat, originem traxerint, uti Plinius asserit: Celtiberi denique, secundum Lucanum, Silium Italicum, Diodorum Siculum, Strabonem, Appianum a Celtis ex Gallia tam nomen, quam genus acceperint, concludimus, Celticos circa promontorium Nerium, Celticosque inter Bætim & Anam, Celtis quoque in Gallia originem debere, & promontorium Nerium a Plinio Celticum & Celticorum Bæticorum tractum ab eodem Celticam dici, quod inhabitarentur a Celtis, qui ex Gallia, quam omnes antiqui scriptores Celticam vocant, in illas Hispaniæ partes transierunt. Nec quid vetat profecto, quin alium PLINII locum, (l) qui de promontorio Celticæ Lytarmi, in ultimis Europæ oris haud procul a Riphæis montibus sito, loquitur, eadem exponamus ratione. Celtica nempe Plinio tractus est, quem Celtæ, originem ex Gallia trahentes, occupant. Conjecturam hanc nostram confirmat LIVIUS, qui Gallos colonias ad oram illam misisse refert, (m) & speciatim Plutarchus, qui de τοῖς Γαλάταις τῦ Κελτικῦ γένυς, Gallis Celtis, memorat, (n) magnam eorum coloniam ἐπὶ τὸν βόρειον

(k) Libr. III. p. 230.
(l) Lib. VI. cap. 13.
(m) Libr. XXXVIII. cap. 16.
(n) In Vita Camilli p. 135.

ρεῖον ὠκεανὸν ὑπερβαλόντες τὰ Ῥιπαῖα ὄρη ῥυῆναι, καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Εὐρώπης κατασχεῖν. "Oceani ſeptentrionalis oras ſuperatis montibus „ Riphæis invaſiſſe, atque ultima Europæ inſediſſe. „ Unde nequit dubitari, Nerium atque Lytarmin, promontoria, ad ortum & ad occaſum Europæ, a Plinio memorata, a communi origine ſua nomina duxiſſe.

§. XXXII.

Ita pro Velſeri, Pezronii, Cluverii, aliorumque ſententia, qui plurimas Europæ gentes communi olim Celtarum nomine comprehenſas exiſtimant, nullum in Plinio reperitur præſidium. Ad aliud ergo CLUVERII (o) pro tuenda opinione ſua argumentum progredimur, quod ex DIONYSIO HALICARNASSENSI (p) petit, quem ſub Celtis Hiſpanos, Gallos, Britannos, Illyrios & Germanos deſignaſſe contendit. Dionyſius ita: καὶ χρόνος οὐδεὶς μέχρι τοῦ παρόντος ἀπομαθεῖν ἢ παρανομῆσαί τι περὶ τοὺς ὀργιασμένους τῶν θεῶν ἔπεισεν οὔτε Αἰγυπτίους, οὔτε Λίβυας, οὔτε Κελτοὺς, οὔτε Σκύθας, οὔτε Ἰνδοὺς, οὔτε ἄλλο βάρβαρον ἔθνος οὐδὲν ἁπλῶς. "Nec longa temporum ſerie adduci „ potuerunt, ut cultum deorum, quorum ſacra patrio ritu „ celebrant, dediſcere aut aliqua ex parte immutare voluerint vel Ægyptii vel Afri, vel Celtæ, vel Scythæ, vel „ Indi, vel ulla alia gens barbara. „ Totius orbis populos in Ægyptios, Afros, Celtas, Scythas, & Indos partitum eſſe, & ſub Celtis eas præcipue gentes Europæ deſignaſſe credit, quas paulo ante recenſuimus. Conjecturæ ſuæ veriſimilitudinem ex eo conciliare ſtudet, quod Ægyptiis Libyes contigui fuerint, Libyis intermedio freto Gaditano, Celtæ, id eſt, ut ille explicat, Hiſpani, Britanni, Galli, Illyrii & Germani; Celtis iterum Scythæ, & Scythis Dionyſio Halicarn.

(o) German. antiq. Lib. I. p. 25. (p) Lib. VII. pag. 457.

this Indi vicini. Incolas autem Aſiæ, qui a Scythis & India ad Ægyptum ſe extenderant, ſub communi barbarorum nomine deſignatos pertendit. Ita omnes per orbem terrarum gentes a Dionyſio Halicarnaſſenſi ordine ſitus per circulum recenſitas fuiſſe arbitratur Cluverius; nimium conjecturis indulgens. Qua enim ratione probaturus eſt, gentes barbaras omnes, & quidem ordine ſitus, enumerare voluiſſe Dionyſium, quem modo nonnullas, enumeraſſe videmus; reliquis ſub communi Barbarorum appellatione comprehenſis. Dionyſius Celtarum mentionem facit non ſemel, ita tamen, ut ſub hoc nomine Gallos, & quidem ſolos conſtanter intelligat, uti ſupra (q) oſtenſum. Cæteras Europæ gentes Celtarum quoque nomine ab eo ullibi deſignatas nemo probaturus eſt unquam. Imo vero Hiſpanos a Celtis Dionyſium diligenter diſtinguere, §. XXVI. probavimus.

§. XXXIII.

Strabone. A Dionyſio Halicarnaſſenſi ad Strabonem tranſeamus; apud quem Velſerus, Cluverius & aſſeclæ ſcriptorum antiquorum veſtigia reperiſſe ſe credunt, ubi Celtarum voce plures Europæ gentes intelligantur. De ipſo quidem Strabone id aſſerere non audent, qui Celticæ ſuæ limites tam exacte deſcripſit, Celtaſque toties ab Hiſpanis, Britannis, Germanis, Illyriis, Thracibus, Scythis, Getis, Græcis, Macedonibus & tam diſerte diſtinxit, ut ea ſuper re dubium commoverit nemo. (r) Ad quoſdam autem veteres Græcos, & inter eos præcipue ad Ephorum & ad Hipparchum, quos Strabo allegat, provocant, ut maximam Europæarum gentium partem ſub Celtico nomine olim latitaſſe confirment. Ephorum & ceteros illos Græcos

(q) §. VII. XVII. XXVI. (r) Vid. §. VIII. XVII. XXVI.

Græcos quod attinet, quos prætermiſſo eorum nomine, excitat Strabo, (s) mirandum eſt ſane Velſerum, magni inter eruditos nominis virum, & cum eo Cluverium, pro firmanda hypotheſi ad teſtes tam obſcuros confugere, qui & apud ipſum Strabonem, cui notitiam eorum præſertim debemus, & apud alios tam parum fidei invenerunt. In unaquaque re ad claſſicos confugiendum ſcriptores, quos ſi evites, patrocinii malæ cauſſæ te reddes ſuſpectum. Quodſi enim de Philoſophicis rebus recte Cicero dixit, nihil tam abſurde dici, quod non ab aliquo Philoſophorum dicatur, in Geographicis profecto rebus idem evenire videmus. In futurorum ſeculorum profunditate ſcriptores non defuturos eſſe prævideo, qui Franciam noſtri ævi Hiſpanos, Gallos, Britannos, Belgas, Germanos, Suecos & Danos comprehendiſſe ſtatuant, quod apud orientales, regionum Europæarum ignaros, in uſu ſit communi *Francorum* nomine hos populos appellare. Sed redeamus ad Ephorum. Diodorus Siculus hoc de eo judicium fert: (t) Ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἄν τις παρ' Ἐφόρῳ ζητήσειεν ἐκ παντὸς τρόπου τἀκριβὲς, ὁρῶν αὐτὸν ἐν πολλοῖς ὠλιγωρηκότα τῆς ἀληθείας. "Certi quid apud Ephorum nemo inquiret, qui veritatem in multis eum neglexiſſe videbit." Et Seneca: (u) "Ephorus non religioſiſſimæ fidei, ſæpe decipitur, ſæpe decipit." A Strabone vero inter eos refertur, (x) qui Eratoſthenem præceſſere, & rerum Celticarum plane ignari fuerunt: Νῦν δ' εἰρήσθω, ὅτι καὶ Τιμοσθένης, καὶ Ἐρατοσθένης, καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ καὶ τὰ Κελτικά. μυρίῳ δὲ μᾶλλον τὰ Γερμανικὰ καὶ τὰ Βρεττανικά. "Atque in præſentia id a nobis ſit dictum & Timoſthenem, & Eratoſthenem, & qui eos ætate anteceſſerunt, plane ignaros fuiſſe Hiſpanicarum Celticarumque rerum, ac multis modis magis Germa-

Reſponſio

(s) Libr. I. p. 58.
(t) Biblioth. Hiſtor. Libr. I. c. 39.
(u) Libr. VII. natural. quæſt. c. 16.
(x) Libr. II. p. 149.

„ Germanicarum & Britannicarum. „ Ephorum enim Eratoſthene ſuperiorem ætate STRABO (y) nos docet. Non alia etiam ex cauſa eum in ipſis illis locis, a Velſero Cluverioque citatis, allegat, quam ut veterum Græcorum in Geographia ignorantiam illuſtri quodam oſtendat exemplo. Ait enim: (z) Φημὶ γὰρ κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὥσπερ τὰ πρὸς Βορρᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν, ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος· ὕστερον δὲ καὶ τῶν πρὸς ἑσπέραν γνωσθέντων Κελτοὶ καὶ Ἴβηρες, ἢ συμμίκτως Κελτίβηρες καὶ Κελτοσκύθαι προσηγορεύοντο, ὑφ' ἓν ὄνομα τῶν καθέκαστα ἐθνῶν ταττομένων διὰ τὴν ἄγνοιαν. οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι. “ Nam de priſcorum Græcorum ſententia hoc dico, quod „ ſicut in cognitis verſus ſeptentrionem regionibus gentes „ omnes uno ab eis nomine Scythæ vel Numidæ, uti ab „ Homero, vocabantur, poſteaque cognitis etiam regioni- „ bus occiduis incolæ horum Celtæ vel Iberi, aut mixto „ nomine Celtiberi vel Celtoſcythæ dicebantur, diverſis „ gentibus propter ignorantiam uno nomine appellatis; „ pari ratione etiam tota terræ pars, quæ meridiem ſpe- „ ctat, Æthiopia ab illis vocetur. „ Et iterum: (a) Μηνύει δὲ καὶ Ἔφορος τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν, ὅς φησιν ἐν τῷ περὶ τῆς Εὐρώπης λόγῳ, τῶν περὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν τόπων, εἰς τέσσαρα μέρη διῃρημένων, τὸ πρὸς τὸν Ἀπηλιώτην, Ἰνδοὺς ἔχειν, πρὸς νότον δὲ Αἰθίοπας, πρὸς δύσιν δὲ Κελτοὺς, πρὸς Βορρᾶν ἄνεμον Σκύθας. “ Vetus quoque de „ Æthiopia opinio ex Ephoro conſtare poteſt, qui in ora- „ tione de Europa inquit, cœli ac terræ locis in quatuor „ diductis partes, eam, quæ eſt verſus ſubſolanum habitari „ ab Indis; quæ verſus auſtrum ab Æthiòpibus; quæ ver- „ ſus occaſum a Celtis; aquiloni objectam, a Scythis. „ Et alio loco: (b) Ἔφορος δὲ ὑπερβάλλουσάν τε τῷ μεγέθει λέγει τὴν Κελτικὴν, ὥστε ἅσπερ νῦν Ἰβηρίας καλοῦμεν, ἐκείνοις τὰ πλεῖστα προσνέμειν μέχρι Γαδείρων. “ Ephorus Celticam facit magnitudine longe excedentem, „ dum maximam partem ejus regionis, quam Iberiam nunc

(y) Lib. I. pag. 1. & 2.
(z) Lib. I. p. 58.
(a) Pag. 59.
(b) Lib. IV. p. 304.

nunc vocamus usque ad Gades ad eam computat.„ Velserus ergo atque Cluverius, Ephorum apud Strabonem in testimonium vocantes, animadvertere debuissent, eum a Strabone, non ut testem fide dignum, sed ut scriptorem, qui nullam penitus rerum Celticarum notitiam habuerat, proferri. Et ita cum reliquis illis veteribus Græcis, a Cluverio similiter ex Strabone prolatis, comparata res est; quos STRABO (c) ne tanti quidem habet, ut eorum indicet nomen, quod occidentalium Europæ rerum plane essent ignari. (d) Quantum ergo Cluverius aberravit a vero,

(c) Lib. I. p. 58.

(d) Ephorum, cœcum ducem, secutus est Marcianus Heracleota, in Periegesi sua v. 166. scribens:

Ἔπειτα χώρα Κελτικὴ καλουμένη
Μέχρι τῆς θαλάττης τῆς κατὰ Σαρδὼ κειμένης,
Ὅπερ μέγιστόν ἐστι πρὸς δυσμὰς ἔθνος.
Τὴν μὲν γὰρ ἐντὸς ἀνατολῶν πᾶσαν σχεδὸν
Οἰκοῦσιν Ἰνδοί· Τὴν δὲ πρὸς μεσημβρίαν
Αἰθίοπες ἐγγὺς κείμενοι νότου πνοῆς.
Τὸν ἀπὸ ζεφύρου Κελτοὶ δὲ μέχρι δυσμῶν τόπον
Θερινὸν ἔχουσιν· τὸν δὲ πρὸς βορρᾶν Σκύθαι.

" Exinde regio, nuncupata Celtica,
„ Ad æquor usque Sardium protenditnr:
„ Quæ maxima gens est occidentis ad plagam.
„ Nam pars, quæ ad ortum pergit, omnis propemodum
„ Incolitur Indis: pars meridiem prospicit,
„ Qua Aethiopes habitant, non ab austro dissiti.
„ Favoniumque Celtæ ad occiduum, locum
„ Æstivum habent: septentrionalem Scythæ.

Sequitur Marcianus in his & in tota sua periegesi Ephorum; ideoque non mirum, si a tam levis fidei scriptore sæpe deceptus sit: ipse id fatetur Marcianus v. 109.

Ἰδὼν

a vero, cum receptam de Celtiberorum originibus, tot veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmatam, ſententiam deſerens, profitetur, (e) malle ſe hac in re credere Straboni, qui à vetuſtiſſimis Græcorum Hiſpaniam omneſque ad ſeptentrionem populos Celtarum nomine inſignitos fuiſſe tradat. Veré quidem tradit hæc Strabo, ſed ut de Græcorum illorum in Geographicis ignorantia teſtimonium proferret; diverſis in locis aperte profeſſus, (f) ſe ipſos hos Celtiberos, cum aliis quoque ſcriptoribus, derivare à Gallis.

§. XXXIV.

Hipparchus explicatur.

Sed ſatis jam de Ephoro; ad Hipparchum tranſeamus, quem VELSERUS (g) etiam inter veteres illos numerat, (h) qui Celticæ nomen maximæ Europæ parti tribuerint. Locus eſt in STRABONE: (i) Φησὶ δέ γε ὁ Ἵππαρχος κατὰ τὸν Βορυσθένην καὶ τὴν Κελτικὴν ἐν ὅλαις ταῖς θεριναῖς νυξὶ παραυγάζεσθαι τὸ φῶς τοῦ ἡλίου

Ἤδη δ' ἐπ' ἀρχὴν εἶμι τῆς συντάξεως
Τοὺς συγγραφεῖς ἐκθέμενος, οἷς δὴ χρώμενος
Τὸν ἱστορικὸν ὡς πίστιν ἀναπέμπω λόγον.
Τῷ τὴν γεωγραφίαν γὰρ ἐπιμελέστατα
Γεγραφότι τοῖς τε κλίμασι καὶ τοῖς σχήμασι
Ἐρατοσθένει μάλιστα συμπεπεισμένος
Ἐφόρῳ τε,

“ Jam ad initium operis progredior
„ Scriptores commemoraturus, quibus uſus ſum,
„ Et quorum ex fide hæc refero.
„ Etenim Geographiam exactiſſime
„ Tam climatum quam morum ratione ſcribenti
„ Eratoſtheni maxime confiſus ſum,
„ Et Ephoro. „

(e) Lib. I. p. 58.
(f) Lib. I. Germ. antiq. p. 25.
(g) Vid. §. XXX.
(h) Lib. I. rerum Boicar. p. 2.
(i) Lib. II. p. 127. ſq.

ἡλίου περιϊστάμενον ἀπὸ τῆς δύσεως ἐπὶ τὴν ἀνατολήν· ταῖς δὲ χειμεριναῖς τροπαῖς πλεῖστον μετεωρίζεσθαι τὸν ἥλιον ἐπὶ πήχεις ἐννέα. "Hipparchus tradit,, ad Boryſthenem inque Celtica totis noctibus æſtivis ſo-,, lem lucere & ambire ab occaſu in ortum, ſub brumam,, vero ſolem non attolli ultra novem cubitos.,, Ex quo Velſerus concludit, Hipparchum per *Celticam* non intelligere Galliam, quod non ibi, ſed in extremis borealibus oris, totas per æſtatem noctes, ſol luceat. At diligentius paulo locum ſi inſpexiſſet Velſerus, vidiſſet, Hipparchum quidem Celticam nimis verſus ſeptentrionem protrudere, imo & magnitudinem illius a meridie verſus boream longius, quam par eſt, extendere, per Celticam tamen non aliud, quam Gallicum intelligere ſolum. In Celtica ſolem hiemali tempore non ultra novem cubitos attolli, aſſerit generatim. De ſeptentrionalibus Celticæ partibus vero ſpeciatim affirmat, ſolem apud illos Celtas, qui a Maſſilia 9100. ſtadiis remoti ſunt, uſque ad cubitos quatuor: apud illos autem populos, qui ulterius verſus ſeptentrionem habitant, & in quibus Hipparchus meridionalem Britanniæ oram conſtituit, infra tres cubitos per hiemem attolli. Ita enim pergit STRABO (k) de Hipparcho: Ἐν δὲ τοῖς ἀπέχουσι τῆς Μασσαλίας ἑξακισχιλίοις καὶ τριακοσίοις, (οὓς ἐκεῖνος μὲν ἔτι Κελτοὺς ὑπολαμβάνει, ἐγὼ δ' οἶμαι Βρεττανοὺς εἶναι βορειοτέρους τῆς Κελτικῆς σταδίοις χιλίοις πεντακοσίοις) πολὺ μᾶλλον τοῦτο συμβαίνειν· ἐν δὲ ταῖς χειμεριναῖς ἡμέραις ὁ ἥλιος μετεωρίζεται πήχεις ἕξ. τέτταρας δ' ἐν τοῖς ἀπέχουσι Μασσαλίας ἐνακισχιλίους σταδίους καὶ ἑκατὸν. ἐλάττους δὲ τῶν τριῶν ἐν τοῖς ἐπέκεινα, οἳ καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον λόγον πολὺ ἂν εἶεν ἀρκτικώτεροι τῆς Ἰέρνης. οὗτος δὲ Πυθέᾳ πιστεύων κατὰ τὰ νοτιώτερα τῆς Βρεττανικῆς τὴν οἴκησιν ταύτην τίθησι, καί φησιν εἶναι τὴν μακροτάτην ἐνταῦθα ἡμέραν, ὡρῶν ἰσημερινῶν δέκα ἐννέα, ὀκτωκαίδεκα δὲ ὅπου τέτταρας ὁ ἥλιος μετεωρίζεται πήχεις. οὕς φησιν ἀπέχειν τῆς Μασσαλίας ἐνακισχιλίους καὶ ἑκατὸν σταδίους. ὥσθ' οἱ νοτιώτατοι τῶν Βρεττανῶν βορειότεροι τούτων εἰσίν. "Multo magis id evenire apud eos, qui a Maſſilia 6300.,, ſtadiis

(k) Lib. II. pag. 128.

„ ſtadiis abſunt, quos ille ipſos quoque adhuc Celtas eſſe „ putat: ego autem puto eſſe Britannos, a Celtica verſus „ ſeptentrionem ſtadiis 1500. remotos. Hibernos autem „ diebus ſolem ad cubitos ſex elevari: ad quatuor apud „ eos, qui a Maſſilia abſunt 9100. ſtadiis: intra tres apud „ ulterius diſſitos, qui etiam ſecundum noſtram computa- „ tionem longe magis ſunt ſeptentrionales, quam Hiber- „ nia. At ille Pytheæ fidem adhibens eum ſitum collo- „ cát in partibus Britanniæ, auſtro propinquioribus; ait- „ que ibi longiſſimam diem eſſe horarum æquinoctialium „ 19. octodecim vero, ubi ſol ad quatuor cubitos aſſurgit, „ quos a Maſſilia abeſſe dicit 9100. ſtadiis. Quo efficitur, „ Britannos, qui omnium maxime ad meridiem accedunt, „ ſeptentrioni eſſe viciniores, quam iſti. „ Quid clarius eſt, quam Hipparchum heic per Celticam deſignare Galliam noſtram. In ejus regionibus ſolis altitudinem a Maſſilia verſus ſeptentrionem computat; ultra Celtas & propius verſus ſeptentrionem meridionalem Britanniæ partem ponit; quæ nulli alii regioni quam Galliæ convenire, vix quiſquam dubitaverit.

§. XXXV.

Argument. contrar. ex Plutarcho. Superſunt adhuc Plutarchus & *Ptolemæus*; quorum priorem Doct. Pelloutierius, poſteriorem Cluverius illis accenſent, qui *Celticæ* nomine maximam Europæ partem intelligunt. Plutarchum quod attinet, trahitur huc locus ex Vita MARII (1) §. XVIII. allegatus, ubi occaſione irruptionis, a Cimbris in Italiam factæ, refert, Romanos quoſdam credidiſſe, Cimbros & Teutones gentes Celticas eſſe, Celticamque ab extremo oceano ad paludem Mæotidem uſque pertingere. At jam oſtenſum eſt §. XX. Plutarchum

(1) Pag. 411.

tarchum ibi de Celtica non ſuam ſententiam, ſed Romanorum quorundam, novo hoſtium adventu territorum, inanes fictiones proferre: qui ipſe quam accurate Celtas a Germanis, Hiſpanis, Britannis, Illyriis & Scythis diſtinguat, multis documentis (§. XX. & XXVII.) probatum. (m) Per Κελτογαλατίαν à Ptolemæo omnem deſignari Europam, Cluverius quoque haud recte opinatus eſt. PTOLEMÆUS (n) totum Zodiacum in quatuor triangula dividit, ac ſingula dein peculiaribus nominibus, ex vi & operatione planetarum deſumtis, diſtinguit, qui ex ipſius ſententia, in quolibet triangulo imperium tenent. Inde Ptolemæus ad ipſum terrarum orbem deſcendit; aſſeritque, quod, uti Zodiacus, in quatuor quadrantes dividi poſſit, hoc modo: Τούτων δὴ οὕτως ἐχόντων, διαιρουμένης τε τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, εἰς τέσσαρα τεταρτημόρια, τοῖς τριγώνοις ἰσάριθμα, κατὰ μὲν πλάτος ὑπό τε τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάσσης τῆς ἀπὸ τοῦ ἡρακλείου πορθμοῦ μέχρι τοῦ ἰσσικοῦ κόλπου καὶ τῆς ἐφεξῆς πρὸς ἀνατολὰς ὀρεινῆς ῥαχείας, ὑφ' ὧν χωρίζονται τό τε βόρειον αὐτῆς καὶ τὸ νότιον μέρος, κατὰ δὲ μῆκος ὑπὸ τοῦ ἀραβικοῦ κόλπου διὰ τοῦ αἰγαίου πελάγους καὶ πόντου καὶ μαιώτιδος λίμνης, ὑφ' ὧν χωρίζεται τό, τε ἀπηλιωτικὸν καὶ τὸ λιβυκὸν μέρος, γίνεται τεταρτημόρια τέσσαρα, σύμφωνα τῇ θέσει τῶν △. Ἓν μὲν πρὸς βορρᾶν καὶ λίβα τῆς ὅλης οἰκουμένης κείμενον, τὸ κατὰ τὴν Κελτογαλατίαν, ὃ δὴ κοινῶς Εὐρώπην καλοῦμεν· τούτῳ δὲ ἀντικείμενον τὸ πρὸς τὸν νοταπηλιώτην τὸ κατὰ τὴν ἑῴαν Αἰθιοπίαν, ὃ δὴ τῆς μεγάλης Ἀσίας νότιον μέρος ἂν καλοῖτο, καὶ πάλιν τὸ μὲν πρὸς βορραπηλιώτην τῆς ὅλης οἰκουμένης τὸ κατὰ τὴν Σκυθίαν, ὃ δὴ καὶ αὐτὸ βόρειον μέρος τῆς μεγάλης Ἀσίας γίνεται. Τὸ δὲ ἀντικείμενον τούτῳ καὶ πρὸς λιβόνοτον ἄνεμον τὸ κατὰ τὴν ἑσπέριον Αἰθιοπίαν, ὃ δὴ κοινῶς καλοῦμεν Λιβύην. "Quæ cum ita ſe habeant, & cum noſtra „ terra diſtribuatur in quadrantes æquales numero triangu- „ lis quatuor, per latitudinem quidem a mari noſtro ex „ Herculaneo freto uſque ad ſinum Iſſicum & ulterius ver- „ ſus orientem montanum uſque ad dorſum, quibus ſepa- „ ratur pars ſeptentrionalis ab auſtrali. Per longitudinem „ autem

Ex Ptolemæo

(m) Libr. I. Germ. antiq. p. 24. (n) Τετραβίβλου Lib. II. fol. 16. a.

„ autem ex Arabico ſinu per Aegeum pelagus & pontum „ ac paludes Mæotidas, quibus dividitur pars orientalis & „ occidentalis, conficiuntur ita quadrantes numero poſitu- „ que congruentes cum triangulis; *quorum alter collocatus „ eſt ad boream & Africum totius terræ ad Celtogalatiam, quem „ univerſali nomine Europam vocamus.* Illique oppoſitus al- „ ter ad auſtri & ſubſolani commiſſionem ad Aethiopiam „ orientalem, qui pars auſtralis magnæ Aſiæ recte dici po- „ terit. Tertius quadrans ſitus eſt ad boreæ & ſubſolani „ totius terræ commiſtionem ad Scythiam, qui hinc pror- „ ſus pars ſeptentrionalis magnæ Aſiæ fit: quartus huic „ oppoſitus eſt, & jacet ad Africi & auſtri commiſtionem „ ad occidentalem Aethiopiam, vocaturque communiter „ Libya. „

§. XXXVI.

Error Cluverii in explicatione Ptolemæi.

Geographica Ptolemæi ὑφήγησις, in qua ille Κελτογαλατίας nomen ſoli Galliæ tribuit, ut §. XI. & XXII. oſtendi, movere debuiſſet Cluverium, ut dubitaret, num Ptolemæus alia Κελτογαλατίας ſignificatione in τετραβίβλῳ, alia in Geographica ſua ὑφηγήσει, facile fuerit uſurus. Orbem terrarum in quatuor quadrantes Ptolemæus in hoc libro diſtinxit, primumque tradidit ſitum eſſe in *relatione ad ambitum totius* terræ verſus boream & Africum, & quidem juxta Celtogalatiam, eundemque uno nomine Europam vocari aſſerit. Ex his Cluverius id, quod de toto quadrante Ptolemæus enuntiavit, de Celtogalatia intellexit, & hanc ex ſententia Ptolemæi, ſed perverſe intellecta, totam Europam deſignaſſe exiſtimavit. Facile videre potuiſſet, verba Ptolemæi, ὃ δὴ κοινῶς Εὐρώπην καλοῦμεν, voci Κελτογαλατίας, quæ fœminini generis eſt, convenire non poſſe, ſed ad primum τεταρτημόριον, quadrantem terræ, de quo in illa periodo ſermo eſt, referri debere. Imo ſi Ptolemæi verba,

verba, quæ ſequuntur, perpendimus, liquet, Ptolemæum in diſtributione totius terræ in quatuor quadrantes, præter diverſas cœli plagas, ad quos ſinguli quadrantes referuntur, regiones quoque notiores in ſingulis indicaſſe quadrantibus, quibus aliæ minus notæ cohærent. Ita in deſcriptione quadrantis terræ, qui Europam complectitur, Celtogalatiam nominat, cum qua quadrans ille conjunctus. Ad quadrantem, qui meridionalem Aſiæ partem comprehendit, orientalem Aethiopiam refert; ad illum, qui ſeptentrionlem Aſiæ partem circumſcribit, Scythiam ponit; ad illum denique quadrantem, qui Libyam ambit, occidentalem Aethiopiam figit.

§. XXXVII.

Ex his omnibus, quæ ubertim diſputata ſunt hactenus, hanc rerum ſummam colligimus: ſcriptores antiqui, quotquot eorum Celtas vel obiter vel diligenter deſcribunt, *Celtarum* & *Celticæ* nomen Gallis Galliæque omnes attribuunt. Plerique Gallis & Galliæ ſolis; nonnulli, præter Gallos, etiam Germanis. Sunt porro inter veteres, ſed fidei ſuſpectæ, & attentione vix digni, qui dimidiam Europæ partem, ad ſolis occaſum, Celticam, ejuſque incolas Celtas appellant. Qui vero univerſam Europam nomine Celtico denotet, inter antiquos mihi nullus obvenit. Corruit ergo Ortelii, Hofmanni, Harduini, & ſociorum opinio, qui omnes Europæas gentes communi Celtarum nomine antiquitus comprehenſas fuiſſe exiſtimant; quod ex omni antiquitate nullum conſentientem producunt; quodque illi, qui Celticum nomen quam maxime extendunt, ultra dimidium non progrediuntur Europæ. Corruit quoque Velſeri, Scaligeri, Cluverii, Coccii, Cocceji, Speneri, Pezronii, Mezeræi, Gendrei, Gedoyni, pluriumque aliorum ſententia, qui vel maximam Europæ partem, vel præcipuos ſaltem ejus populos, Hiſpanos nimirum, Britannos, atque Illyrios cum Germanis & Gallis nomine Celtarum deſignatos

Concluſio.

gnatos

gnatos fuisse putant. Hæc enim Ephori & antiquissimorum quorundam Græcorum, quorum nomina fere ignoramus, testimonio nititur. Ephorus ab ipsis jam veteribus, a Diodoro Siculo, a Seneca malæ & suspectæ fidei in plerisque accusatur; a Strabone vero, judice gravi, una cum Græcis illis, rerum Geographicarum & præcipue Celticarum plane ignarus judicatur. Jam vero à Strabone solo ipsum illud Ephori, Græcorumque de Celtis testimonium proditur; qui ignorantiam eorum in Geographicis illustri quodam exemplo demonstrat. Testimonium porro est, ex prima illa & obscura Græcorum de occidentalibus Europæ partibus petitum notitia, quæ nonnisi traditione dubia, famaque incerta potuit acquiri, adeoque confusa, imperfecta, maximamque partem falsa esse debet. Lucidioribus seculis, quibus Geographica scientia emersit, atque Europæ ad occasum & septentrionem regiones magis innotuerunt, ex Græcis Latinisque repertus est nemo, qui in Celtarum Celticæque situ describendo Ephorum, aut veteres illos Græcos, secutus sit. Cadit tandem quoque Brouueri, alteraque Speneri sententia. Spenerus enim, postquam plurimos Europæ populos olim *Celtas* appellatos fuisse contendisset, in Brouueri deinceps sententiam transit, qui nomen hoc Germanis præcipue competiisse, secundario tantum ad Gallos translatum esse, asserit. Cum enim ab omnibus scriptoribus Gallos, a paucis Germanos etiam Celtarum nomine designatos fuisse ostenderim, quomodo nomen hoc dici potest præsertim convenisse Germanis, quod illis longe rarius tributum, quam Gallis; imo à plurimis veterum vel nunquam datum, vel aperte negatum est? Et quomodo nomen secundario tantum potuit pertinere ad Gallos, quibus plurimi & gravissimi veterum illud non tantum primario, sed etiam solis tribuerunt.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sententia de Celtis Germanis.

Supereſt denique Raphaëlis Volaterrani, Henrici Glareani, & qui noſtris temporibus eos ſecuti ſunt, Guilielmi Leibnitii ac Illuſtriſſ. Comitis Henrici de Bunau conjectura, qui inter varias illas de Celtis doctrinas, Gallis & Germanis æqualiter nomen illud datum fuiſſe exiſtimant. Veriſimilior hæc ceteris, quas enarravimus, juniorum ſententiis eſt; quod illæ ex omni antiquitate nullum, aut ſuſpectæ ſaltem fidei teſtes nonnullos, hæc autem tales producat, qui in rebus hiſtoricis apud omnes fidem meruerunt, quorumque adeo auctoritati cedendum eſſet, niſi & alii complures, auctoritate & fide hac in re ſuperiores, Celtarum nomen ſolis Gallis tribuerent. Examinandi ergo ſunt teſtes, atque ex ſingulorum in hoc argumento notitia & fide de ipſa rei veritate judicandum. Ex illis, quos Gallis nomen Celtarum ſolis tribuere reperimus, uti jam ſupra oſtenſum, ex Græcis ſunt Herodotus, Ariſtoteles, Polybius, Diodorus Siculus, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Strabo, Dionyſius Periegetes, Plutarchus, Ptolemæus, Athenæus, Stephanus Byzantinus; ex Latinis Cæſar, Livius, Pomponius Mela, Lucanus, Plinius. Qui vero præter Gallos Germanos etiam in Celtici nominis communionem admittunt, ſunt ex Græcis Appianus, Pauſanias, Dio Caſſius, Suidas, &, ſi addere velis, Arrianus, quanquam in hac re adhuc dubius; ex Latinis autem producitur nullus. In hac teſtium comparatione, an non prioris auctores ſententiæ auctoritate & numero ceteris prævalere dicendum eſt? Illis profecto in cognoſcenda rei veritate nec facultas, nec ſtudium defuit. Plerique eorum illa ætate vixerunt, qua Celticus ſermo adhuc fuit in uſu; qua ipſa natio ſua adhuc lingua ſe *Celtas* vocavit; qua de vero nominis ſignificatu potuit ferri

K judi-

judicium. Quin & inter hos Livius, Cisalpinus ipse Gallus, fuit, Patavii natus, adeoque origine Celta. Cæsar autem novennio bella cum Gallis gessit; Galliam armis peragravit omnem, & in Germaniam quoque transiit: cui summa, qua flagrabat, vincendi, imo & discendi, cupido inspiravit, ut in singularum gentium nomina, indolem, consuetudines, linguam, in situs & terminos regionum, in populorum diversitatem solerter inquireret; cui turpe profecto fuisset, in nominibus limitibusque populorum errare, quos in publico orbis conspectu subegerat; qui Germanos a communione nominis Celtarum excludens, noluit Gallis aliquid præ Germanis tribuere, vel ex universa Celtarum gente, quæ orbem olim terruit, devicta majorem sibi gloriam famamque comparare. Germanos enim non minus ac Gallos prœliis atrocissimis vicit, & suorum temporum Gallos a veterum Celtarum virtute degenerasse, Germanisque inferiores esse, diserte perscribit: (o) "Fuit „antea tempus, inquit, quum Germanos Galli virtute „superarent, & ultro bella inferrent, - - paulatim assue„facti superari, multisque victi prœliis, ne se quidem ipsi „cum illis virtute comparant.„ Et quanquam Asinius Pollio, audacissimus censor, qui in ipso quoque Livio Patavinitatem reprehendit, Commentarios *Cæsaris* parum diligenter, parumque integra fide compositos putet, (p) non tamen deterruit sua censura Tacitum & Strabonem, magnæ auctoritatis historicos, quin Cæsarem summum auctorem laudarent, (q) ac in illis, quæ de Gallis vel Celtis scribunt, præcipue consulendum sequendumque existimarent. Sed & præter Julium Dictatorem omnes ad unum veteres, qui studio Geographiæ præ aliis incubuerunt,

(o) Lib. VI. c. 24.
(p) Suetonius in Vit. Cæsar. c. 56.
(q) Tacit. de mor. Germ. c. 28.
Strabo Libr. IV. p. 267.

buerunt, Strabo, Dionysius Periegetes, Ptolemæus, Stephanus Byzantinus, Pomponius Mela, Plinius, in Geographico argumento fide dignissimi, Celtas soli Galliæ vindicant.

§. XXXIX.

Contrariæ autem sententiæ testes sunt primo pauci numero, & juniores ætate: omnium eorum ætas non ultra dimidium secundi post Christum natum sæculi ascendit; tempus, quo ante ducentos jam annos Cæsar Celtas superaverat, Romanæque adeo leges, Romani magistratus, Romanum forum, Romana lingua in illis partibus regnabant; quo Celtica lingua, quæ temporibus Cæsaris in tertia tantum parte Galliæ adhuc supererat, & indigena Celtarum appellatio, ipso testante PAUSANIA, (r) jam fere perierat. Tum vero temporis in genuinam & veram Celtarum appellationem inquirere, jam difficilius erat, quam cum Celtica adhuc lingua superesset, ex qua ipsa gentis appellatio profecta, & in alias dein nationes defluxit. Quodsi ergo à veterum illorum, quorum præcipua in negotio hoc ratio habenda est, juniores recedunt, magnam sane erroris suspicionem de se præbent; quin eo majorem, quod Athenæus, vir inter doctissimos sui sæculi reputandus, Ptolemæus item & Stephanus Byzantinus, Geographi diligentes, ejusdemque ætatis, ab illis recedunt & antiquiorum vestigia premunt, Celtarumque nomen solis Gallis adscribunt. Adde, quod & ipsi hi testes nec consulto de Celtis scripserunt, nec Geographiæ præcipuam operam dederunt: quin in suis, quoad res Celticas, testimoniis partim sibi ipsis contradicunt, partim manifesto falsa

Auctoritas testium contrar.

(r) In Atticis Libr. I. cap. 3. p. 10.

falſa referunt. Ita Appianus, qui recte primum enuntiaverat, (s) Romanos veterem Celtarum gentem novo & ab ipſis invento nomine Gallos appellaſſe, idemque aliis in locis confirmaverat: (t) Ἀννίβας δὲ -- τὰ Πυρηναῖα ὄρη διαβὰς ἐς τὴν Κελτικὴν τὴν νῦν λεγομένην Γαλατίαν. "Annibal autem in *Celticam*, „*quæ nunc Gallia* nominatur, ſuperato Pyrenæo tranſiit." Item: (u) ὁ μὲν Ἀπουλήϊος νόμον ἐσέφερε διαδάσασθαι γῆν, ὅσην ἐν τῇ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένῃ Γαλατίᾳ Κίμβροι γένος Κελτῶν κατειλήφεσαν. "Apu- „lejus legem promulgabat de dividendis agris, quotquot „Cimbri progenies Celtarum in *ea regione* occupaverant, „*quæ nunc a Romanis Gallia* nominatur;" omnia hæc deinceps evertit, (x) quando Gallorum & Celtarum nomen a filiis Polyphemi Cyclopis, qui illis populis imperaverint, uno eodemque tempore originem traxiſſe ſcribit. Sic enim ibi: φασὶ δὲ -- Πολυφήμῳ τῷ Κύκλωπι καὶ Γαλατείᾳ Κελτὸν καὶ Ἰλλυριὸν καὶ Γάλαν παῖδας ὄντας ἐξορμῆσαι Σικελίας, καὶ ἄρξαι τῶν δι᾽ αὐτοὺς Κελτῶν, Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατῶν λεγομένων, καὶ τόδε μοι μάλιστα πολλὰ μυθευόντων ἕτερα πολλῶν ἀρέσκει. "Aſſerunt vero Polyphemo Cyclopi ac „Galateæ Celtum & Illyrium & Galam filios extitiſſe, „eoſque ex Sicilia progreſſos Celtis, Illyriis & Galatis, ab „ipſis nomen aſſumentibus, imperitaſſe: & hæc mihi inter „pleraque a multis memorata placent." Suidam, cum prius vocem *Celtarum* per Germanos explicuiſſet, eodem mox in loco hanc explicationem exemplis, quæ allegat, deſtruere §. XIV. & XXIII. oſtendimus. Dio Caſſius autem in rebus Celticis, quæ ſua etiam tempora reſpiciunt, ignorantiam prodidit, cum populos Galliæ in Narbonenſes, Lugdunenſes, Aquitanos & Celticos dividit: (y) καὶ Γαλάται πάντες οἵ τε Ναρβωνήσιοι καὶ οἱ Λουγδουνήσιοι, Ἀκυϊτανοί τε καὶ Κελτικοί. "Omnes Galli, & Narbonenſes, & Lugdunenſes, & Aquita-

(s) In præfat. fol. 2. & de bell. Hiſpan. p. 421.
(t) De bell. Annibal. p. 545.
(u) Lib. I. de bell. Civil. p. 625.
(x) De bellis Illyriis p. 1194.
(y) Lib. LIII. p. 503.

„ Aquitani, & Celtici. „ Lugdunenſes male diſtinguit à Celticis, quando Galliæ Lugdunenſis nomen, quod Auguſtus invenit, Celticæ Galliæ nomini, mutatis paulo finibus, ſucceſſiſſe notum eſt. PLINIUS: (z) "Gallia „ omnis comata in tria populorum genera dividitur, a Scal- „ di ad Sequanam Belgica; ab eo ad Garumnam Celtica, „ eademque Lugdunenſis &c. „ Et PTOLEMÆUS (a) eoſdem populos in Lugdunenſi Gallia recenſet, qui Cæſaris temporibus ad Galliam Celticam relati ſunt. Enimvero haud obſcurum eſt, Dionem ſub Celtis ſpeciatim intellexiſſe Belgas, quod ex aliis ejus locis elucet. Alibi (b) enim Celticos ſuos ita deſcribit: οἱ Κελτικοὶ τῷ τε Ῥήνῳ πολλοῖς καὶ συμμίκτοις γένεσι προσοικοῦντες καὶ ἐπὶ τὸν Ὠκεανὸν τὸν κατὰ Βρεττανίαν καθήκοντες. "Celtici variis ſuis & inter ſe permixtis genti- „ bus ad Rhenum habitant, & ſe uſque ad Oceanum Bri- „ tannicum extendunt. „ Non Celticis Gallis, ſed Belgis hæc convenire indubium eſt, uberiuſque §. XIII. oſtenſum.

§. XL.

Dionis teſtimoniis tamen quam maxime nituntur, qui Celticum nomen Germanis etiam conveniſſe affirmant. SPENERUS ad Librum ejus XXXIX. (c) provocat, ubi tamen evidens erroris, à Dione in rebus Celticis commiſſi, documentum obſervo. Aſſerit ibi Dio, antiquis temporibus & Gallos & Germanos uno Celtarum nomine appellatos fuiſſe: poſtea vero cum fuiſſet perſpectum, gentes has flumine Rheno adeoque a natura ſeparari, nominibuſque etiam eos hinc diſtingui placuiſſet, nomen Celtarum illis tantum tributum eſſe, qui dextram Rheni ripam accolue- Dionis auctoritas.

(z) Lib. IV. cap. 17.
(a) Lib. II. c. 8.
(b) Lib. XXXIX. p. 93.
(c) Pag. 113. ſq.

accoluerint, Germanique etiam poſtea dicti fuerint: illos vero, qui ad ripam Rheni ſiniſtram habitaverint, nomen Gallorum accepiſſe. Verba ejus ita ſe habent: Ὁ δὲ δὴ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας. προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτήν. ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτεμνόμενος, καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ὠκεανὸν ἐμβάλλει· οὗτος γὰρ ὁ ὅρος ἀφ' οὗ γε καὶ ἐς τὸ διάφορον τῶν ἐπικλήσεων ἀφίκοντο, δεῦρο ἀεὶ νομίζεται, ἐπεὶ τό γε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ, ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο. "Rhenus ex Alpibus Celticis paulo ſuper Rhætos „oritur: inde verſus occidentem profluens ad ſiniſtram „Galliam ejuſque incolas, ad dextram Celtas dividit, tan„demque in Oceanum exit. Hic enim limes in hunc „uſque diem earum regionum habetur ab eo tempo„re, quo diverſa nomina adeptæ ſunt: ſiquidem antiqui„tus admodum populi, qui ex utraque parte Rheni habi„tabant, Celtæ uno nomine appellati ſunt.„ Omnibus hæc veterum monumentis repugnant. Nomen Celtarum, poſtquam Gallia & Germania nominibus cœperunt diſtingui, Germanis tantum, non Gallis conveniſſe, adeo contra omnem fidem hiſtoricam eſt, ut nunquam accuratius Gallos Celtarum nomine vocari, Celtaſque a Germanis diſtingui reperiamus, quam a temporibus Cæſaris, & per duo inſequentia ſæcula, (d) quibus tam Galliam quam Germaniam peculiare pridem nomen habuiſſe, omnis novit antiquitas. Illis ergo, qui in definiendo Celtarum ſignificatu Dionis auctoritati omnia tribuerunt, diligenter hæc perpendenda videntur.

§. XLI.

Cauſæ concluſio.

Comparatione hac teſtium inita, ſecuros in illorum partem tranſire nos poſſe videmus, qui Gallos ſolos proprie

(d) Confer. §. XVII. XX. XXIV.

prie *Celtas* appellant, & à communione nominis hujus excludunt Germanos. (e) Quodsi enim testium numero pugnes, sunt sedecim contra quatuor, vel quinque ad summum: si antiquitate & rei cognoscendæ facultate; sunt antiqui & præsentes temporibus, quibus examinari res potuit, contra juniores, ab illis jam temporibus remotos: si rei cognoscendæ studio; sunt Geographi & qui rem illam sibi præcipue examinandam sumserunt, contra scriptores, qui in talibus rebus suam præcipue operam collocare noluerunt: si ipsius denique testimonii qualitate; ex una parte sunt sibi constantes, ex altera parte sibi ipsis contradicentes, & in ipsis etiam Celticis rebus circa ea, quæ sua tempora respexerunt, sæpe & aperte decepti. VELSERUS ergo non debuisset asserere, (f) vocem Celtarum, qua longissimæ ætatis memoria respiciatur, tam Gallos, quam Germanos complexam esse: dein vero ultra Rhenum arctatam paulatim, accisis postmodum magis magisque finibus in ultima demum Gallia hæsisse, partemque ejus comprehendisse circiter tertiam. Melius, opinor, inverso Velseri ordine Celtarum nomen, si manifestas quorundam fabulas excipimus, ab antiquissimis temporibus solis Gallis datum, per plurimas ætates & per series sæculorum constanter à scriptoribus hoc sensu servatum, & tandem, extincta Celtica lingua, indigenaque Celtarum appellatione obsoleta, a quibusdam falso etiam ad Germanos esse translatum, pronuntiamus; non deficientibus magni nominis scriptoribus, qui posteriore sensu nunquam sunt usi, illisque etiam temporibus veterem verumque vocis Celtarum usum constanter retinuerunt.

§. XLII.

(e) Sententiam hanc sæculo jam XVI. Bodinus in Methodo historiarum p. 350. sq. amplexus est: quanquam causam bonam male defenderit, verbis scriptorum veterum sæpe perverse intellectis.

(f) Pag. 2. sq. rerum Boic.

§. XLII.

Germani num Galli. Sed & ultimo loco deveniendum ad illos, qui Cæſari, Celtas & Gallos idem eſſe nomen, nonniſi diverſo modo enuntiatum, profitenti, ſe opponere nolentes, eo denique confugiunt, ut veteris Germaniæ incolas non communi modo Celtarum, ſed & Gallorum nomine deſignatos fuiſſe contendant. Profeſſi ſunt hanc ſententiam ſuperioribus ſæculis RAPHAEL VOLATERRANUS, (g) HENRICUS GLAREANUS, (h) CHRISTOPHORUS BROUUERUS; (i) nuperiſque temporibus COCCEJUS, (k) SPENERUS, (l) Vir in Germanicis rebus ſane ſolide doctus, qui in omni hoc argumento tamen ſibi ipſi non concordat. Poſtquam enim uno in loco (m) nomen Celtarum Germanis præcipue datum, hocque nomine eos, a Gallis olim diſtinctos ſtatuerat, alio (n) deinceps in loco in Gallici nominis communionem Gallos cum Germanis admittit. Dio eum induxit, ut crederet, nomen Celtarum ab eo præſertim tempore tributum Germanis, quo Gallia & Germania nominibus cœperunt diſtingui. Et tamen deinceps nomen Gallorum, quod ex ipſa ejus ſententia idem cum Celtico, Germanis tribui deſiiſſe affirmat. Argumenta, quæ Spenerus pro aſſerendo etiam Germanis nomine Gallico profert, ſeptem ſunt numero; quæ ſingula, mixtis etiam, quæ alii ſententiæ hujus patroni addiderunt, ſub examen revocanda ſunt.

Argum. I. Primum argumentum petit à magna diſſimilitudine animorum ac virium, quæ inter Gallos, Cæſaris ætate, illoſque, qui quondam terrorem milleque formidines orbi intule-

(g) Geograph. Libr. III. ineunte.
(h) In Commentariolo de vetuſtis Germaniæ populis apud SCHARDIUM Tom. I. p. 71. ſq.
(i) Proparaſceve Annal. Trevir. p. 17.
(k) Prolegom. Jurisprud. publicæ p. 7. ſq.
(l) Notitia Germ. antiq. p. 125. ſq.
(m) Vide ſupra §. XXXVII.
(n) Pag. 124. ſqq.

intulerant, intercessit. Haud verisimile Spenero visum est, Gallos Cisrhenanos, qui apud Cæsarem sæpenumero sese cum Germanis congressos prædicarunt, Cæsaris ævo autem, ne vultum quidem Germanorum aciemque oculorum ferre potuerunt, eundem esse populum, qui tribus ante seculis tantos in omnes terræ partes transmiserit exercitus. Argumenti vim omnem in eo ponit SPENERUS, (o) quod Galli eodem terræ suæ solo & cœlo semper animarentur. Gallos autem in Italia & Asia à veteri Celtarum virtute degenerasse non mirum; animos enim mutari cum cœlo. At fallitur Spenerus, quod ea, quæ Cæsar de Sequanis quibusdam, & mercatoribus Gallorum refert, (p) universæ Gallorum nationi adscribit. Cæsar cum exercitu ad Vesontionem fuerat, Sequanorum Metropolin; Æduis & Sequanis contra Ariovistum, Regem Germanum, qui dira eos servitute oppresserat, futurus auxilio. Pejor præ ceteris fuerat Sequanorum conditio, quibus oppida Ariovistus omnia ceperat, & tam superbe crudeliterque imperaverat, ut, licet cum Arvernis & Sequanis Romanorum auxilium implorarent, attamen ne in occulto quidem queri contra Ariovistum ullamque vocem emittere auderent; sed tristes capite demisso semper terram intuerentur, absentesque ejus crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent. (q) In tanta sua calamitate & tam immani victoris sui superbia non mirum est, Sequanos, cum Germanis congressos, ne vultum quidem eorum ferre potuisse. Quid hæc autem ad reliquos Gallos, quos tantæ tempestatis non afflixerant turbines. Longe alia Cæsar refert de ceteris Gallis. De Belgis ita loquitur: (r) "Omnium Gallorum,, fortissimi sunt Belgæ.,, De Helvetiis: "Helvetii quoque,, reliquos

(o) Not. (s).
(p) Libr. I. de bell. Gall. cap. 39.
(q) Cæsar de bell. Gall. cap. 32.
(r) Lib. I. cap. 1.

„ reliquos Gallos virtute præcedunt: quod fere quotidianis „ prœliis cum Germanis contendunt, quum aut suis fini- „ bus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum „ gerunt. „ Ursit hoc idem Cæsar in oratione, qua exercitum suum, metu Germanorum perculsum, confirmare studuit: (s) "Hos esse Germanos, quibuscum sæpenu- „ mero Helvetii congressi non solum in suis, sed etiam in „ illorum finibus plerumque superassent. „ De Volcis Tectosagibus, colonia Gallorum, quæ in Germania consederat, testatur, (t) eos inter ipsos Germanos summam bellicæ laudis opinionem habere. At quot & quanta Gallicæ virtutis exempla, in ipsis Cæsaris Commentariis, occurrunt. Ceterum eodem terræ solo qui utuntur & cœlo, non in eadem semper majorum virtute & fortitudine perstant. Quot populi, nostro quoque ævo, a patrum suorum defecerunt virtute. Multi Gallorum a veteri Celtarum virtute defecerant, (u) quod continuo armorum exercitio non amplius uterentur, vel quod per commercia cum finitimis res, quæ animos effeminare solent, in terras suas importaverant; id quod idoneus harum rerum testis non obscure Cæsar (x) observat: " Omnium Gallorum fortis- „ simi sunt Belgæ: propterea quod a cultu atque huma- „ nitate provinciæ longissime absunt, *minimeque ad eos* „ mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effemi- „ nandos animos pertinent, important. Proximi sunt „ Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum con- „ tinenter bellum gerunt: qua de causa Helvetii quoque „ reliquos Gallos virtute præcedunt. „

§. XLIII.

(s) Lib. I. cap. 40.
(t) Lib. VI. cap. 24.
(u) Teste CÆSARE de B. G. Libr. VI. c. 24. (x) Libr. I. c. 1.

§. XLIII.

Argumentum ſecundum ex eo ſumit Spenerus, quod Gallia plane exhauſta fuiſſet, ſi ex ea ſola tot in Italiam, Græciam, Aſiamque gentium agmina proceſſiſſent. Vim hujus argumenti in veteris Galliæ extenſione conſiſtere putat, quæ cum Germaniæ magnitudine haud potuerit comparari. At Gallia vetus longe major fuit, quam nova, quippe quæ omnem Helvetiam, univerſum Belgium, & omnem cis Rhenum Germaniam ſuo ambitu comprehenderat. Adde quod coloniæ illæ non omnes uno tempore, ſed diverſis nonnullæ ſeculis emigrarunt ex Gallia. Quot millia centena hominum medio ævo in bellis illis ſacris ex eadem educta ſunt, ita ut jacturam tamen non paterentur Provinciæ. Argum. 2.

Tertium argumentum in eo conſiſtit; quod Græci Gallos, Romæ direptores, ex Hyperboreis adveniſſe teſtati ſint; Floruſque etiam, hiſtoricus Romanus, eos ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano adveniſſe dixerit. Sed & probare ſtudet Spenerus, eſſe, qui Cimbris adjudicaverint victorias, quas alii Gallis tribuerint; imo eſſe, qui Cimbros Teutoneſque, de quorum Germanica origine nemo dubitaverit, claris verbis Gallos vocarint. (y) De Græcis, qui Gallos ex Hyperboreis deduxerunt, locum profert ex Plutarcho, qui in Camillo de expugnatione urbis Romæ hæc refert: (z) Τοῦ μέντοι πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἁλώσεως ἔοικεν ἀμυδρά τις εὐθὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα φήμη διελθεῖν. Ἡρακλείδης γὰρ ὁ Ποντικὸς οὐ πολὺ τῶν χρόνων ἐκείνων ἀπολειπόμενος ἐν τῷ περὶ ψυχῆς συγγράμματί φησιν ἀπὸ τῆς ἑσπέρας λόγον κατασχεῖν, ὡς στρατὸς ἐξ Ὑπερβορέων ἐλθὼν ἔξωθεν, ἡρήκοι πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην ἐκεῖ που κατῳκημένην περὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν. Argum. 3.

Hæc

(y) Nota (t) (z) Tom. I. Opp. pag. 139. ſq.

"Hæc tamen captæ urbis calamitas obſcuro rumore ſtatim „ perlata in Græciam eſt. Ponticus enim Heraclides, affi„ nis his temporibus, in libro de anima, annunciatum ex „ occidente refert, exercitum alienigenarum ex Hyperboreis „ progreſſum Græcam urbem cepiſſe, Romam, illo in tra„ ctu prope Oceanum ſitam. „ Vim omnem argumenti hujus ipſe enervat Plutarchus verbis, quæ ſuperiora ſequuntur, quæ autem Spenerus, hypotheſi ſuæ contraria, non addere auſus eſt: ὐκ ἂν οὖν θαυμάσαιμι, μυθώδη καὶ πλασματίαν ὄντα τὸν Ἡρακλείδην ἀληθεῖ λόγῳ τῷ περὶ τῆς ἁλώσεως ἐπικομπάσαι τὺς Ὑπερβορέυς καὶ τὴν μεγάλην θάλατταν. Ἀριστοτέλης δὲ ὁ φιλόσοφος τὸ μὲν ἁλῶναι τὴν πόλιν ὑπὸ Κελτῶν ἀκριβῶς δῆλός ἐστιν ἀκηκοώς· τὸν δὲ σώσαντα Λεύκιον εἶναί φησιν· ἦν δὲ Μάρκος, οὐ Λεύκιος ὁ Κάμιλλος. ἀλλὰ ταῦτα μὲν εἰκασμῷ λέγεται. " Equi„ dem non mirer portentoſum hominem & vanum Hera„ clidem veritati, captæ urbis jactantiæ cauſa, adſperſiſſe „ Hyperboreos & Oceanum. Ariſtoteles vero philoſophus „ captam a Celtis urbem accepiſſe ſe diſerte teſtatur, ſed „ Lucium, qui eam ſervaverit, nuncupat, quum Marcus „ fuerit, non Lucius Camillus. Verum hæc per conje„ cturam dicta ſunt. „

§. XLIV.

FLORUS (a) quidem *Gallos Senones ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano; magnis agminibus profectos eſſe* ſcribit. At nihil impedire video; quo minus & hæc verba ejus exponamus de Gallia, quam Oceano cinctam eſſe nemo ignorat; ſtylo præſertim Flori, qui & mediocres res poëtica verborum pompa frequenter exaggerat. Expeditionem a Gallis Delphos ſuſceptam, quam narrat JUSTINUS, (b) APPIANUM (c) Cimbris

(a) Libr. I. cap. 13.
(b) Libr. XXIV. c. 8.
(c) Illyric. p. 1196.

Cimbris tribuere fatendum. Forte manus Cimbrorum Gallis in eo bello socia fuit, vel Appianum a Trogo Pompejo, seu Epitomatore ejus, Justino dissentire dicendum est. DIODORUS quidem SICULUS (d) Cimbris similiter Romæ expugnationem & templi Delphici spoliationem adscribit; quæ quidem Gallis alias, a scriptoribus Græcis & Latinis, tribui novimus. Sed ipse Diodorus errorem suum correxit, (e) & quod expugnationem urbis attinet, illam a Gallis Senonibus, quorum ipse originem ex transalpina Gallia ducit, factam esse testatur. Quod autem CICERO de Mario refert: (f) "Marius, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit." Et SALLUSTIUS: (g) "Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Cæpione & M. Manlio male pugnatum, quo metu Italia omnis contremuerat," haud difficulter divinamus, ab utroque scriptore nomen Gallorum datum esse exercitui illi non ratione Cimbrorum & Teutonum, sed ratione Tigurinorum, quos magnam partem exercitus illius composuisse ex FLORO, (h) & Gallos fuisse ex CÆSARE (i) patet. Florus quidem de Cimbris & Teutonis ait: "Cimbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant." sed omnis ibi rei narratio non satis distincte est instituta; nam verba: *ab extremis Galliæ profugi*, proprie ad Tigurinos, non ad Cimbros & Teutones, verba vero: *quum terras eorum inundasset Oceanus;* ad Cimbros & Teutones, non Tigurinos, ab Oceano remotos, & extra omne ab ejus inundatione periculum positos, pertinere videntur. Cimbri &

(d) Libr. V. c. 32.
(e) Libr. XIV. c. 114. sqq.
(f) Orat. de provinc. Consular. c. 11.
(g) De bello Jugurth. cap. 114.
(h) Libr. III. c. 3.
(k) Libr. I. de B. G. c. 12.

bri & Teutones ab extremis quoque Galliæ profugi dici potuerunt; quod, Gallia prius omni tentata, ab extremis ejus finibus tandem ad Tigurinos pervenerint, illisque in societatem assumtis Italiam & imperium Romanum invaserint. Gallos enim a Germanis FLORUM (k) alias probe distinguere novimus. "Restabant immanissimi gentium, inquit, Galli atque Germani.,, Servum publicum, ad occidendum Marium in carcerem missum, natione *Gallum* fuisse LIVIUS (l) quidem, Vellejus Paterculus vero *Germanum*, Cimbrico bello captum, perscribunt. Dissentire hac in re scriptores duos dicere mallem, quam Gallorum & Germanorum nomina usurpare promiscue. Dubium omne profecto tollit PLUTARCHUS, (m) eundem servum ita describens: ἱππεὺς Γαλάτης τὸ γένος, ἢ Κίμβρος, ἀμφοτέρως γὰρ ἱστορεῖται. "Eques, Gallus natione vel Cimber; utrum-,, que enim traditur.,, Indicant hæc dissensum scriptorum, quicquid etiam contra ea oggerat Coccejus.

§. XLV.

Argum. 4. Quartum Speneri argumentum est, quod non raro Gallia a Scriptoribus ad extremos usque septentriones extendatur. Trahit huc præcipue locum ex DIODORO SICULO: (n) Χρήσιμον δ' ἐστὶ διορίσαι τὸ παρὰ πολλοῖς ἀγνοούμενον· τοὺς γὰρ ὑπὲρ Μασσαλίας κατοικοῦντας ἐν τῷ μεσογείῳ καὶ τοὺς περὶ τὰς Ἄλπεις, ἔτι δὲ τοὺς ἐπὶ τάδε τῶν Πυρηναίων ὀρῶν Κελτοὺς ὀνομάζουσι· τοὺς δ' ὑπὸ ταύτης τῆς Κελτικῆς εἰς τὰ πρὸς νότον νεύοντα μέρη, παρά τε τὸν Ὠκεανὸν καὶ τὸ Ἑρκύνιον ὄρος καθιδρυμένους, καὶ πάντας τοὺς ἑξῆς μέχρι τῆς Σκυθίας Γαλάτας προσαγορεύουσιν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πάλιν πάντα ταῦτα τὰ ἔθνη συλλήβδην μιᾷ προσηγορίᾳ περιλαμβάνουσιν, ὀνομάζοντες Γαλάτας ἅπαντας. "Nunc, quod a multis ignoratur, ,, definiri operæ pretium est. Qui interiora supra Massiliam

(k) Lib. III. cap. 10.
(l) Epitom. Libr. LXXVII.
(m) Vita Marii p. 428.
(n) Libr. V. cap. 32.

liam tenent, & qui circum Alpes ac cis Pyrenæos mon-„ tes habitant, hos Celtas nominant. Qui vero infra hanc„ ipsam Celticam partes, austrum versus & ad Oceanum„ Hercyniumque montem sitas, incolunt, omnesque ad„ Scythiam usque diffusos, Gallos vocitant. At Romani„ gentes hasce universas una Gallorum appellatione com-„ prehendunt.„ Diodorus heic Romanis attribuit, quod apud nullum eorum reperimus. Quis unquam, præter Diodorum Siculum, de ullo Romano scriptore id asserere ausus? Nec Spenerus, nec Coccejus, nec fautores eorum, quamvis Germaniam antiquitus Galliæ nomine vocatam esse contendant; Galliæ tamen nomen aliis etiam Europæ regionibus vindicare studebunt. Suspectæ itaque fidei est Diodori testimonium, nec in ea quæstione, an Germaniæ etiam antiquitus nomen Galliæ sit tributum, tuto potest allegari; qui de cetero regionum Germaniæ, omniumque earum, quæ ab ortu ei adjacent, tam ignarum se ostendit, ut Danubium una cum Rheno in Oceanum decurrere asserat. (o) Ita enim: Πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων ποταμῶν ῥεόντων διὰ τῆς Γαλατίας -- τὴν ἐκβολὴν οἱ μὲν εἰς τὸν Ὠκεανὸν ποιοῦνται, οἱ δ' εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν· μέγιστος δ' ἐστι τῶν εἰς τὸ καθ' ἡμᾶς πέλαγος ῥεόντων ὁ Ῥοδανὸς -- τῶν δ' εἰς τὸν Ὠκεανὸν ῥεόντων μέγιστοι δοκοῦσιν ὑπάρχειν ὅ τε Δανούβιος καὶ ὁ Ῥῆνος. "Multi per Galliam fluvii de-„ currunt, & vel in Oceanum sese exonerant, vel in no-„ strum mare exeunt. Vastissimus de nostrum intranti-„ bus mare fluviis est Rhodanus. De cæteris, quos Ocea-„ nus excipit, maximi videntur esse Danubius & Rhenus.„ Diodorus ergo universam Germaniam Galliæ nomine appellari cum dicit, de sua ætate, & de eo, quod communiter a Romanis, ratione usus hujus nominis, receptum esse credebat, loquitur. Vixit autem imperante Augusto, iisque adeo temporibus, quibus satis jam explorati fuerant

(o) Libr. V. cap. 25. p. 303. sq.

rant Galliæ & Germaniæ limites nomenque Germanorum apud Romanos satis notum & frequens esse cœperat. Jam vero ipse profitetur SPENERUS, (p) Galliæ nomen ad cisrhenanam & transrhenanam nationem nominandam adhiberi desiisse, postquam Germanorum nomen a Romanis frequentari cœpisset; tum enim, finibus regionum accuratius exploratis, cisrhenanos solos a Romanis *Gallos* dictos fuisse. Ita ex ipsius Speneri traditis exiguam fidem Diodorus meretur, quando suis temporibus præter Galliæ nomen, quo Germania a Romanis vocata, aliud nullum habuit compertum, & de nomine Germaniæ penitus tacuit; cum tamen, consentiente Spenero, tum temporis jam Germania vocari desierit Gallia, Germaniæque nomen Diodorus, si accurate voluisset inquirere, haud ignorare potuerit.

§. XLVI.

Argum. 5. Quintum Speneri argumentum Livio nititur; qui eos, quos modo Gallos vocarat, verbis paucis interpositis, vocavit Germanos. Livio alios jungit auctores, quibus Germani & Galli promiscue ponantur. LIVIUM (q) ipse jam purgavit Spenerus, plurimos Criticos loco *Germanorum* vocabulum *Cænomanorum* substituere *professus*. De aliis scriptoribus inde rem probare conatur, quod Bastarnæ, indubie Germani, a pluribus tamen Galli appellentur, uti a POLYBIO, (r) a PLUTARCHO; (s) quibus Coccejus Scordiscos addit, quos LIVIUS, (t) JUSTINUS (u) & STRABO (x) Gallos & γαλάτας vocent. Thraces autem fuisse Bastarnis Germanis lingua & moribus similes, ex

(p) Pag. 128.
(q) Lib. V. c. 35.
(r) Excerpt. legat. cap. 62.
(s) Vita Æmylii Pauli p. 259.
(t) Epitom. Libr. 63.
(u) Lib. XXXII. cap. 3.
(x) Lib. VII. p. 450.

ex LIVIO (y) FLOROQUE (z) adſtruitur. At Scordiſci revera Galli fuerunt, quanquam partis Thraciæ incolæ. Epitome LIVIANA: (a) "Livius Druſus Conſul ad-,, verſus Scordiſcos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia,, feliciter pugnavit.,, JUSTINUS (b) eos ex Gallis illis, qui,, duce Brenno expeditionem Delphos ſuſceperant, deducit. Nec ex Livio vel Juſtino poteſt exemplum proferri, quo Germanos unquam Gallorum nomine ab iis compellatos eſſe conſtet. Quin & STRABO (c) Scordiſcos inter gentes Celticas, quæ in Thracia conſederunt, retulit; atque Baſtarnicas in eorum vicinia gentes habitare, eaſdemque una cum Scordiſcis, ex parte, Thracibus permixtas eſſe arbitratur: Καὶ γὰρ νῦν ἀναμέμικται ταῦτα τὰ ἔθνη τοῖς Θρᾳξὶ, καὶ τὰ Βαςαρνικὰ, μᾶλλον μὲν τοῖς ἐκτὸς Ἴςρȣ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐντός· Τȣ́τοις δὲ καὶ τὰ Κελτικὰ, οἵ τε Βόϊοι καὶ Σκορδίσκοι, καὶ Ταυρίσκοι. "Nam etiam-,, num permixtæ ſunt iſtæ & Baſtarnicæ gentes Thracibus,, magis quidem iis, qui extra, ſed iis tamen quoque, qui,, intra Iſtrum accolunt; iiſdemque etiam Celticæ, Boii,,, Scordiſci, Tauriſci.,, Strabonem vero nomine Celtarum ſolos tantum Gallos definire, §. XVII. & XXVI. oſtenſum. Baſtarnæ ergo Scordiſcorum vicini cum fuerint, iiſdem etiam lingua & moribus uſi, uti LIVIUS (d) docet, quid mirum, ſi auctores quidam, qui Scordiſcos Gallos eſſe noverunt, Baſtarnas etiam, eorum vicinos, lingua & moribus ſimiles, ejuſdem cum Scordiſcis originis, adeoque & Gallos eſſe crediderunt.

Sextum argumentum Spenerus producit, ſed non roborat; Gallis nempe eoſdem ſubinde mores, eademque tri- Argum. 6.
bui

(y) Libr, XL. cap. 57.
(z) Libr. III. cap. 4.
(a) Libr. LXIII.
(b) Libr. XXXII. cap. 3.
(c) Libr. VII. p. 454.
(d) Libr. XL. cap. 57.

bui inſtituta, quæ ſolis fere propria Germanis. A probatiſſimis tamen Hiſtoricis Germanorum Gallorumque mores diſtingui, ex CÆSARE (e) & MELA (f) pateſcit.

Argum. 7. Poſtremum Speneri refugium nomina ſunt Ducum Regumque, quæ idioma Germanicum indicent, *Belloveſus*, *Sigoveſus*, *Elitovius*, *Brennus*, *Belgius*, *Arioviſtus*, *Britomarus*, *Virdomarus*. Germanicum Arioviſti nomen eſſe; imo & Arioviſtum in Gallo-Inſubrico contra Romanos bello ducem fuiſſe, FLORO (g) id aſſerente, non vocabo in dubium. At nihil inde ponderis accedit ſententiæ Speneri. Præterquam enim quod Galli diverſæ originis ducem habere potuerunt, Faſtis triumphalibus docemur, Germanos Gallorum Inſubrum in illo bello ſocios fuiſſe; adeoque non mirum, ſi in eo Germanici etiam ducis nomen occurrat. Faſti triumphales: (h)

"M. Claudius, M. F. M. N. Marcellus An. DXXXI.
„ Coſ. de Galleis, Inſubribus & Germanis K. Mart.
„ iſque ſpolia opima retulit Duce hoſtium Virduma-
„ ro ad Claſtidium interfecto. „

Cætera ducum regumque nomina Celticam vere origiginem ſapiunt; uti ſuo tempore nos docebit uberius Vir originum Celticarum ſtudioſiſſimus, BULLETUS, Regius apud Veſontinos Profeſſor, cujus opus de Celtica Lingua, tribus Voluminibus formæ majoris jam prelum exercet.

Ante repertum Germaniæ nomen incolas ejus a Græcis Latiniſque non communi aliquo nomine notatos, ſed, quod obſcura tum adhuc eſſet earum partium notitia, Germaniæ populos, prout eorum aliquis inter cæteros eminuit,

(e) De B. Gall. Libr. VI.
(f) Libr. III. cap. 2. 3.
(g) Libr. II. c. 4.
(h) GRUTER. Inſcript. Tom. I. p. 297.

nuit, & ex migrationibus vel irruptionibus ſuis notus eſſe cœpit Romanis Græciſque, peculiari ſuo nomine vocatos eſſe cenſendum.

§. XLVII.

Epiphonema Speneri

Argumenti hujus tractationem Spenerus his verbis concludit: "Hoc modo miramur, quod adeo Germa-„ nicæ originis pudeat hodiernos Gallos, ut malint a pri-„ ſcis Gallis ſuos repetere ortus, quam Germanorum fate-„ ri gloriam. Iſta nimirum Gallis, ut Gallicum nomen ſo-„ lis cisrhenanis vindicarent, iſta ſtatuendi præcipua cau-„ ſa extitit, quod adprobato propoſito facile ipſis videba-„ tur, Gallos ſuos in Hercynias deducere ſylvas, ut deinde„ Germanos maxime Francos, illorum ſcilicet ortu Gallo-„ rum ſatos, poſſent ſuæ nationis auguſtiores parentes reci-„ pere. Somnia vero pura putaque & commenta mera hic„ jactare Gallos, de Germaniæ originibus alia occaſione di-„ cturus, manifeſte oſtendam. Rectius profecto erant Gal-„ li hodie acturi, ſi unicuique genti propriam tribuendo„ laudem, ipſi Germanos in Gallicæ vetuſtioris gloriæ in-„ vitarent ultro ſocietatem; cum ita ſane in ejus partem„ Germanis quippe magnam partem orti venirent certius,„ quam ſi ſolos laudaverint cisrhenanos, a quibus nec eſt„ totum ipſorum profectum genus, nec ipſi vellent eſſe,„ dummodo amplum diſcrimen inter humiles quondam ſer-„ vientium Gallorum inertiſſimorumque mancipiorum„ animas, invictamque & infractam Germanorum liberta-„ tem & fortitudinem rite expenderint.„ Auctorem, pro magna, qua polluit, doctrina, latere non potuit, Petavium, Sirmondum, Cheſnium, Valeſium, Mabillonium, Baluzium, Montefalconium, omneſque hujus nuperique ſeculi Rerum Francicarum Scriptores, Francorum occidentalium origines ex Germania petere, eoſque adeo Germanicæ non pudere originis, quam omnibus illi modis

 adſtruere

adstruere satagunt, atque adeo Phrygias de Trojana origine rejicere fabulas; quæ Turonensem antistitem, seculi sexti scriptorem domesticum, habent auctorem. Quodsi autem Germanicas Francorum origines Francici agnoscunt auctores, cur antiquissimis Germanis, Francorum parentibus, Gallicum nomen tribuere erubescerent? BODINI, (i) vel aliquot ejus sequacium si hæc sententia fuit, schola sane ejus discipulis caruit, postquam critico judicio uti cœperunt Historici, in clariorem Monumentorum lucem translati.

§. XLVIII.

Celtæ Galli triplices.

Disquirendum jam restat, qui factum, ut inter eos etiam scriptores, qui nomen Celtarum solis Gallis, vere & proprie sic dictis, nomenque Celticæ soli Galliæ tribuunt, alii tamen illud speciatim de tertia Galliæ parte, inter Aquitaniam & Belgium media, enuntient: alii præter totam Galliam transalpinam, illud ad Cisalpinam quoque, sumtis more Romano vocabulis, extendant. De priore nominis Celtici usu, qui Latinis Historicis fere proprius est, jam aliqua ad §. XV. diximus; causam nimirum hujus appellationis fuisse, quod Celtæ, speciatim ita dicti, veterem Celtarum linguam nomenque *adhuc illis temporibus*, quibus Latini ii scripserunt, habuerint, suaque se adhuc lingua Celtas appellaverint, cum cæteri Celtæ, mutata veteri lingua, vetus quoque nomen neglexisse viderentur. Tempus scilicet fuit, quo Gallia omnis, a solis Celtis

(i) Method. Historiar. p. 363. LACARRIUS in Histor. coloniarum Gallicar. Lib. V. cap. 1. p. 242. vult Gallos, qui insedere Pannoniam, ex Pannonia tandem ad ripas Rheni migrasse, Thuringiam incoluisse, quæ postea Francia transrhenana appellata; unde sub Clodione Rhenum cum transiissent, Francici regni sint nata primordia.

tis habitata, pura & ab exteris nationibus intacta ſubſtiterat. Univerſos Galliæ incolas eadem tum lingua & inſtitutis uſos fuiſſe veriſimile eſt. Cum autem ab occaſu Cantabri & Vaſcones ex vicinæ Hiſpaniæ, ſeu Iberiæ, montibus; ab ortu & ſeptentrione Germani, Rheno flumine ſuperato, Celtis miſcerentur, factum eſt, ut regiones, Pyrenæos inter montes & Garumnam, ut & inter Rhenum, Matronam & Sequanam ſitæ, novis incolis acceptis, mores majorum & linguam paulatim mutarent. Strabo de Aquitanis ait: (k) Τοὺς Ἀκουϊτανοὺς, τελέως ἐξηλλαγμένους, οὐ τῇ γλώττῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς σώμασιν, ἐμφερεῖς Ἴβηρσι μᾶλλον, ἢ Γαλάταις. „ Aquitanos a Gallis penitus differre non modo lingua, ſed & corporibus, & ſimiliores eſſe Hiſpanis quam Gallis. „ De Belgis CÆSAR: (l) "Pleroſque Belgas eſſe ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus transductos propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque, qui ea loca incolerent, expuliſſe. „ Hinc ex Germanico Gallicoque idiomate lingua Belgarum; ex Vaſconica & Gallica Aquitanorum idioma prodierunt. Medii inter Aquitanos & Belgas Celtæ, quod ab exteris nationibus ſemper eſſent intacti, nativam ſuam Celticam linguam puram & ab aliis idiomatibus incorruptam ſervarunt, (m) adeoque inter cæteros

(k) Libr. IV. p. 266. ſq. (l) Libr. II. de B. Gall. cap. 4.

(m) Trium priſcarum Galliæ linguarum reliquiæ in finibus Galliæ adhuc hodie ſuperſunt. Britanniæ inferioris Aremorica lingua primævæ illius Celticæ reliquias exhibet. Cantabrica autem ſive Vaſconica vetus non in illis modo Hiſpaniæ montanis partibus, ſed & in Solenſi Galliæ ad Bajonam cis montem Pyrenæum ditione, hodie incorrupta perdurat. Galli eos, qui hac lingua utuntur, Baſquos & Baſculos vocant. MARIANA de reb. Hiſpan. Lib. I. cap. 5. BRIETIUS in Hiſpan. Veter. p. 249. JOSEPHUS SCALIGER de hac lingua ait: Nihil barbari aut ſtridoris aut anhelitus habet, leniſſima eſt & ſuaviſſima,

cæteros Galliæ incolas, qui Celtæ generatim vocati ſunt, illis ſpeciatim priſtinum & patrium majorum nomen inhæſit. Cis-Alpinam Romanorum Galliam ab idoneis ſcriptoribus nomine *Celticæ* quoque deſignatam, quod attinet, non aliam ob rationem ei hæc appellatio data, quam quod illam Celticæ ex Gallia transalpina Coloniæ occupaverant; illique adeo regioni ex ſuo nomine impoſuerant nomen. Transalpinæ vero Galliæ, ceu principi Celtarum ſedi & matri, nativa appellatio inhæſit. Conveniunt de his ex veteribus omnes, quibus Gallia cisalpina dicitur Celtica. POLYBIUS: (n) *Τυῤῥηνοῖς ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοὶ, καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες, ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνούς· καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία.* "Adſidebant Tyrrhenis Cel-„tæ, ideoque cum ipſis commercia frequentabant, deinde „cupiditatis oculis in pulcherrimam planitiem adjectis, „arrepta occaſione levi, numeroſo cum exercitu nihil co-„gitantes Etruſcos invadunt, ex regione circumpadana „ejiciunt, atque ipſi planitiem illam occupant.„ DIODORUS SICULUS: (o) *οἱ κατοικοῦντες τὰ πέραν τῶν Ἄλπεων Κελτοὶ, τὰ στενὰ διελθόντες μεγάλαις δυνάμεσι, κατελάβοντο τὴν μεταξὺ χώραν τοῦ τε Ἀπεννίνου καὶ τῶν Ἄλπεων ὀρῶν, ἐκβάλλοντες τοὺς κατοικοῦντας Τυῤῥηνούς.* "Celtæ, qui „transalpinas regiones inhabitabant, validis anguſtias il-„las copiis transgreſſi, terras inter Apennini & Alpium ju-„ga occupant, Tyrrhenis, qui illic habitabant, ejectis.„

STRA-

ſuaviſſima, atque ſine dubio vetuſtiſſima & ante tempora Romanorum illis in finibus in uſu erat. Idem Scaliger utramque linguam tam Cantabricam, quam Aremoricam matricibus Europæ linguis ſeptem minoribus recte annumerat in Epiſt. ad Paul. Merulam, quæ extat in hujus Coſmographia generali Part. II. Lib. I. cap. 8. pag. 205. nonniſi quatuor enim numeravit majores.

(n) Lib. II. hiſtor. p. 147. (o) Lib. XIV. p. 321.

STRABO: (p) Καὶ γὰρ οἱ ἄλλοι πάντες σχεδόν τι οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κελτοὶ μετανέστησαν ἐκ τῆς ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων γῆς, καθάπερ καὶ οἱ Βόϊοι καὶ οἱ Σένονες. "Reliqui etiam fere omnes Celtæ, qui in Italia ſunt, ex „transalpinis eo immigraverunt regionibus, ut Boii & „Senones.„ PLUTARCHUS in Vita Camilli, loco ad §. XVIII. jam prolato.

§. XLIX.

Coloniæ Celtarum.

Hoc ipſum vero Galliæ ſeu Celticæ Ciſalpinæ nomen, & qui profecti ſunt in eam ex Celtis, inducunt nos, ut Colonias, quas antiquitus in omnes Europæ & quaſdam Aſiæ partes Celtæ miſerunt, veterum auctorum ductu enumeremus. Præterquam enim quod ad Celtici nominis id pertineat gloriam, ipſum hoc Coloniarum laterculum nobis aperit cauſam, cur ex Scriptoribus antiquis nonnulli, ex recentioribus omnes crediderint, alias quoque Europæas extra Galliam gentes ab origine ſua Celticum nomen geſſiſſe. Celtas genuinos & indigenas Pyrenæis montibus, Alpibus, Oceano & Rheno fluvio cinctos fuiſſe oſtendimus. Ex patria ergo deducturis colonias repagula hæc quatuor ſuperanda fuerunt. Ex his aliæ Pyrenæos montes, aliæ Oceanum; aliæ Alpes; aliæ Rhenum transgreſſæ ſunt. (q)

In Hiſpania

A montibus Pyrenæis ducamus initium, ultra quos jacet Hiſpania, in quam remotiſſimis ſeculis ex Gallia transierunt Coloniæ. Has inter eminent Celtiberi, Tarraconenſis Hiſpaniæ populus, uti ex PTOLEMÆO (r) apparet. Limites eorum deſcribit STRABO, (s) qui verſus ſeptentrionem ab iis Verones; ab occaſu Aſtures, Collaicos,

(p) Libr. IV. p. 298.
(q) De Celticis Coloniis multa PETR. RAMUS de mor. Gall. p. 34. ſeqq.
(r) Libr. II. cap. 6. Geogr. (s) Libr. III. p. 245. ſq.

cos, Vaccæos, Vettones & Carpetanos; a meridie Oretanos, Baſtetanos, Dittanos, montis Oroſpedæ accolas, ab ortu Idubedam montem poſitos refert. Segobrigam caput Celtiberorum PLINIUS (t) memorat. Poſt Celtiberos ſunt Verones, Tarraconenſis ſimiliter Hiſpaniæ populus: Cantabrorum Coniſcorum vicini, & Celtiberis, uti dictum, a ſeptentrione poſiti. (u) Celticorum intra Bætim & Anam in Luſitania ſedes ſupra Turdetanos circa Mondam & Durium fluvios referunt PTOLEMÆUS (x) & MELA. (y) Ptolemæus in illis urbes Lancobrigam, Mirobrigam &c. collocat; Celticæ terminationis urbes, quod Galliæ Samarobriva, Amagetobriga docent. (z) Celtici circa promontorium Artabrum, quod inde etiam nomen *Celtici* accepit: hodie *Sanctæ Mariæ* vocatur in finibus Terræ; *Cabo de Finis terre*. De his ad §. XXX. jam actum. De Veronibus addendus eſt locus, qui præcipue huc ſpectat ex STRABONE: (a) οἰκοῦσι δ' ἐκ μὲν τῶν πρὸς ἄρκτον μερῶν τοῖς Κελτίβηρσι Βήρωνες, Καντάβροις ὅμοροι τοῖς Κονίσκοις, καὶ αὐτοὶ τοῦ Κελτικοῦ στόλου γεγονότες. "A Celtiberis verſus ſeptentrio„nem ſunt Verones, Cantabrorum Coniſcorum finitimi; „& ipſi quoque Celticæ expeditionis partem fecerunt.„ (b) Addit his STEPHANUS BYZANTINUS (c) Carpetanos, Hiſpaniæ iterum Tarraconenſis populum; ad occaſum Celtiberorum ſitos: uti ex PTOLEMÆO (d) & STRABONE (e) apparet. Ita enim Stephanus: Ἀλία, πόλις Καρπητανῶν ἔθνους Κελτικοῦ. "Alea urbs Carpetanorum, gentis Celticæ.„ Quid aliud his verbis Stephanus indicat, quam originem Carpetanorum eſſe ducendam a Gallis. Stephanum Celtas ab

(t) Libr. III. c. 3.
(u) Ptolemæus & Strabo loc. cit.
(x) Libr. II. c. 5.
(y) Libr. III. c. 1.
(z) Lib. I. & V. de B. G.

(a) Lib. III. p. 245.
(b) Adi §. 30.
(c) Voce Ἀλία.
(d) Libr. II. c. 6.
(e) Libr. III. p. 246.

ab Hispanis distinguere ad §. XXVIII. probavi. Cæterum Gallica Flavia etiam Ilergetum urbs, in Hispania Tarraconensi, memoratur PTOLEMÆO: (f) Ἰλέργητες, ἐν οἷς πόλεις μεσόγειοι Βεργουσία, Κέλσα, - - Γάλλικα Φλαουΐα. "Ilergetes, in „ quibus urbes mediterraneæ Bergusia, Celsa, Gallica Fla-„ via. „ Eadem hæc esse creditur cum ea, quæ in Antonini Itinerario *Gallicum*, (g) hodie *Fraga* appellatur: insigne Celticæ coloniæ veteris monumentum. Quo tempore ex Gallia Iberiam transierint Celtæ, definire nolim. Sunt, qui ad A. V. C. 476. referunt; (h) quo Tectosagi in orientem profecti sunt. M. Varro apud PLINIUM (i) "generatim in universam Hispa-„ niam pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtas-„ que & Pœnos „ tradit; quo autem tempore advenerint, non adnotat. Ante Annum V. C. 535. id contigisse, certum est. Celtiberos bello Punico secundo jam implicitos fuisse, SILIUS ITALICUS (k) & LIVIUS (l) sunt testes. Incepit autem hoc bellum P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo Coss. eodem referente LIVIO, (m) qui Consulatus secundum Fastos A. V. C. 535. conveniunt.

§. L.

Post colonias Celtarum, quæ in Hispaniam migrarunt, transeundum ad eas, quæ oceanum trajecere, & in Britanniam profectæ sunt. Maritimam ejus partem totam a coloniis Gallicis occupatam auctor est CÆSAR: (n) Britanniæ

Coloniæ Celt. in Britannia.

(f) Libr. II. cap. 6.
(g) Itinere ab Asturica Tarracone.
(h) Lacarrius de Colon. Gall. Lib. III. cap. 2. p. 129.
(i) Libr. III. hist. cap. 1.
(k) Lib. III. v. 350. (l) Lib. XXII. c. 21.
(m) Lib. XXI. c. 16.
(n) Lib. V. de B. G. c. 21.

"Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in in-
„ sula ipsa memoria proditum dicunt: maritima pars ab
„ iis, qui prædæ ac belli inferendi causa ex Belgio trans-
„ ierant, qui omnes fere iis nominibus civitatum appel-
„ lantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, &
„ bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœpe-
„ runt.„ PTOLEMÆUS (o) in descriptione Albionis, insulæ Britannicæ, inter populos ejus recenset Parisios, Atrebatios, Belgas, gentes ejusdem cum incolis Galliæ nominis. TACITUS (p) Britannos omnes a Gallis originem trahere non obscure indicat: " Ceterum Britan-
„ niam, inquit, qui mortales initio coluerint, indigenæ an
„ advecti, ut inter barbaros, parum compertum -- Pro-
„ ximi Gallis & similes sunt; seu durante originis vi, seu
„ procurrentibus in diversa terris, positio cœli corporibus
„ habitum dedit. In universum tamen æstimanti Gallos
„ vicinum solum occupasse credibile est. Eorum sacra de-
„ prehendas, superstitionum persuasione. Sermo haud
„ multo diversus. In deposcendis periculis eadem auda-
„ cia; & ubi advenere, in detrectandis eadem formido.„
BEDA (q) in eandem sententiam abit: "Inprimis, ait,
„ hæc insula Britones solum, a quibus nomen accepit, in-
„ colas habuit, qui de tractu Armoricano, ut fertur, Bri-
„ tanniam advecti australes sibi partes illius vendicarunt.„
Latius hæc omnia deduxit Guilielmus Camdenus, Britannus ipse, testisque in hoc negotio eo minus suspectus. Magna hic cura comparationem inter veteres Gallos & Britannos instituit; maximamque, quæ inter duas has gentes olim fuerat, religionis, morum & linguæ similitudinem solidis argumentis ostendit; originem Britannorum a Gallis

(o) Geogr. Lib. II. c. 3.
(p) Agricol. cap. 11.
(q) Histor. Eccles. Libr. I. cap. 1.

a Gallis petendam esse constanter asserens. (r) Ita enim: "Ratio etiam dictat unamquamque regionem primos in-„ colas potius e vicinis, quam disjunctissimis locis accepisse.„ Quis non existimet Cyprum e proxima Asia, Cretam „ & Siciliam ex vicina Græcia, Corsicam ex vicina Italia,„ & ne longius abeam, Zelandiam e proxima Germania,„ Islandiam e Norwegia primos incolas potius habuisse,„ quam a remotis Tartariæ vel Mauritaniæ tractibus? Iti-„ dem cur non existimemus, Britanniam nostram potius a„ vicinis Gallis, quam vel a Trojanis, Italis, Albanis &„ Brutiis, tanto intervallo semotis, primo fuisse occupatam?„ -- Hinc concludi possit, Gallos veteres & Britannos ea-„ dem usos fuisse lingua, & ex necessaria consecutione„ Britannorum originem ad Gallos referundam. Faten-„ dum enim est Galliam, ut jam diximus, prius habita-„ tam, utpote Armeniæ propriorem, utque frugum fera-„ cem, sic teste Strabone hominum feraciorem. Cumque„ in Italiam, Germaniam, Thraciam & Asiam Galli colo-„ nias diffuderint, multo magis in Britanniam tam vici-„ nam, nec minus fœcundam, par est ut existimemus.„ Nec honori non summo Britannis esse possit, a priscis„ illis Gallis originem duxisse, qui bellica fortitudine in-„ primis excelluerunt.„ Quo tempore primum Galli in Britanniam appulerint, silente historia vetere, nobis quoque silentium profiteri licebit.

§. LI.

Omnium tamen coloniarum, quæ ex Celtis prodierunt, celeberrimæ profecto erant, illæ duæ, quæ, Belloveso & Sigoveso ducibus, ex Gallia Celtica uno eodemque

Coloniæ Celt. in Italia.

(r) In Britannia. pag. 12. & 25.

que tempore trans Alpes & trans Rhenum migrarunt. Bellovesina, occupata superiore Italia, pulsisque ex ea Tuscis effecit, ut tota illa regio nomen Galliæ Cisalpinæ acceperit, illudque, in perpetuam victoris memoriam, per plurima secula, tam apud Romanos, quam apud Græcos constanter retinuerit. Sigovesina autem colonia, non modo Germania Rhenensi sive occidua, nobis vicina, sed & boreali, orientali, australi, peragrata, per utrumque Danubianum litus, per Rhætiam ripensem, per Noricum, per Pannoniam, Thraciam, Græciam, Asiam minorem, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Asiamque majorem se passim dilatavit, regnumque Galatiæ sive Gallogræcorum in florentissima Asiæ minoris parte stabilivit; tanto cum successu, ut virtus eorum, Celticique nominis gloria per universum orbem propagata, vel admiratione vel terrore cuncta compleverit.

Secundum Livium.

Celticæ expeditionis, quæ in Italiam facta est magno numero, ex veteribus meminerunt Polybius, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, Livius, Justinus, ex parte jam ad §. XLVIII. producti. Polybius & Livius, migrationes has diligenter, ceteri generatim modo descripserunt. Tarquinio Prisco Romæ regnante hæc suscepta migratio, ut LIVIUS (s) docet; ducentis annis antequam Galli Clusium obsiderent. Ita idem LIVIUS: (t) "Ducentis annis ante quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt." Obsessum autem fuit a Gallis Clusium Tribunis militum Consulari potestate, L. Lucretio, Servio Sulpicio, M. Aemilio, L. Furio Medullino VII. Agrippa Furio, C. Aemilio iterum; uti ex eodem LIVIO (u) patet; secundum

(s) Lib. V. cap. 34.
(t) Lib. V. cap. 33.
(u) Lib. V. cap. 32.

cundum Fastos Consulares A. V. C. 363. Ab his si ducentos annos detrahas, in A. V. C. 163. ante Christum natum 589. incidis, quæ migrationis Gallorum in Italiam æra est. Observat insuper LIVIUS, (x) hæc accidisse, cum a Phocide profecti advenæ, ad oram Gallorum Salyorum navibus appulsi, prima Massiliæ fundamenta jecere. Audiamus illum: "De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque quum sua tum publica, præpollens, quod imperio ejus Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam, exonerare prægravante turba regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros juvenes, missurum se esse, in quas dii dedissent auguriis sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent, numerum hominum (y) excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercinii saltus: Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam, dii dabant. Is, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Aeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit. (z). Alpes inde oppositæ erant. -- Galli -- Taurino saltu invias Alpes transcenderunt: fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine,

(x) Cap. 34.

(y) Justinus Libr. XXIV. cap. 4. Trecenta hominum millia tum ex Gallia exiisse refert.

(z) Frugum præcipue, vinique, tum primum in Italiam illati, dulcedine Gallos ad invadendam Italiam invitatos fuisse, referunt LIVIUS Libr. V. cap. 32. PLINIUS Hist. natural. Libr. XII. cap. 1. & PLUTARCHUS in Camillo p. 135.

„ mine, quum in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Heduorum: „ ibi, omen sequentes loci, condidere urbem: Mediolanum „ appellarunt. Alia subinde manus Cænomanorum (a) „ Elitovio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu favente Belloveso quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui) considunt. „ Post hos Salluvii, prope antiquam gentem Lævos, Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Pœnino deinde Boii, Lingonesque transgressi, quum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro pellunt: „ intra Apenninum tamen sese tenuere. Tum Senones, „ recentissimi advenarum, ab Utente flumine usque ad Æsim fines habuerunt. „ Ita colonias Gallicas, quæ in Italia consederunt, Livius recenset; atque ex eis exercitum Bellovesi, Cenomanos, Salluvios trans Padum, id est, ultra septentrionalem ejus ripam; Bojos vero, Lingones atque Senones cis Padum, Romam versus, sedes posuisse docet.

§. LII.

Secundum alios.

Aliter paulo colonias illas enarrat, pluresque addit POLYBIUS: (b) *Οἱ Κελτοὶ ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνοὺς, καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία, τὰ μὲν ἐν πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα, Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβρες κατῴκησαν, ὃ μέγιστον ἔθνος ἦν αὐτῶν.*

(a) Editio LIVIANA, quæ Parisiis A. 1625. forma maj. impressa, pro Cænomanorum habet Germanorum, refragantibus Codicibus MSS. & reliquis editionibus optimis: sed & refragante ipsa rerum, quas Livius narrat, serie; ubi nonnisi de Gallis (quo nomine profecto Germanos nunquam intelligit) eorumque coloniis in Italiam transeuntibus agit. Ex parallelo etiam Polybii loco, qui hic adducitur, Libr. II. p. 147. manifesto patet, *Cenomanorum* legendum esse.

(b) Lib. II. p. 147.

αὐλῶν. ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενόμανοι. τὰ δὲ πρὸς τὸν Ἀδρίαν ἤδη προσήκοντα γένος ἄλλο πάνυ παλαιὸν διακατέσχε. προσαγορεύονται δὲ Οὐένετοι, τοῖς ἔθεσι καὶ τῷ κόσμῳ βραχὺ διαφέροντες Κελτῶν, γλώττῃ δ᾽ ἀλλοίᾳ χρώμενοι - - τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπεννῖνον πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Αἴγωνες. (c) Τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. "Celtæ Etruſcos ex regione circumpadana ejiciunt, atque ipſi planiciem illam occupant; primas igitur terras & ad Padi fontes poſitas Lai ac Lebecii, proxime ſequentes Inſubres tenuere; gens Celtarum omnium maxima. Cenomani poſt hos ſedes ſuas ipſum prope fluvium ceperunt: illum vero tractum, qui ad Adriam jam pertingit, populus longe antiquiſſimus obtinuit, Venetos vocant; ſermone diverſo a Celtis utentes; cætera moribus & cultu fere ſimiles. Ultra Padum verſus Apenninum primi conſederunt Ananes, deinde Boii, poſt hos verſus Adriam Aegones; poſtremi omnium ad mare Senones." Inter Celtas etiam Inſubres refert STRABO: (d) Τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ὑπὸ Κελτῶν περιῳκεῖτο τῶν πλείστων ὁ ποταμὸς, (ſc. ὁ Πάδος) μέγιστα δ᾽ ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοῖοι καὶ Ἴνσουβροι. "Circa fluvium autem Padum quondam Celtæ habitabant plurimi; quorum maximæ gentes Boii & Inſubri." STEPHANUS BYZANTINUS: (e) Ἰνσόβαρες ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῷ Πάδῳ, οὓς καὶ Ἰνσόβρας φασίν. "Inſobares, gens Celtica ad Padum, quos etiam Inſobras appellant." Venetos Strabo ſimiliter Celtas eſſe & a Venetis Belgicæ, vel ut Plinius & Ptolemæus volunt, Lugdunenſis Galliæ populis originem ducere credit: (f) Μετὰ δὲ τὰ λεχθέντα ἔθνη τὰ λοιπὰ Βελγῶν ἐστὶν ἔθνη, τῶν παρωκεανιτῶν, ὧν Οὐένετοι μέν εἰσιν οἱ ναυμαχήσαντες

(c) Legendum forſan Λίγωνες vel Λίγγωνες. Hos enim medias inter Bojos & Senones ſedes tenuiſſe, docet LIVIUS loco modo allegato, & facilis alias eſt literæ Græcæ Λ in Α mutatio. Sic in DIONE CASSIO Libr. XXXIX. p. 109. Ligeris fluvius Αἴγρος vocatur: quod corruptum ſine dubio ex Λίγρος.

(d) Lib. V. p. 325. (e) Pag. 147. (f) Lib. IV. p. 297. & ſq.

σαντες πρὸς Καίσαρα. Paulo poſt : Τούτους οἶμαι τοὺς Οὐενετοὺς οἰκιστὰς εἶναι τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν· καὶ γὰρ οἱ ἄλλοι πάντες σχεδόν τι οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κελτοὶ μετανέστησαν ἐκ τῆς ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων γῆς, καθάπερ καὶ οἱ Βόϊοι καὶ οἱ Σένονες. " Poſt dictas gentes Belgæ ſunt ad oceanum pertinentes. „ Ex his ſunt Veneti, qui navali pugna cum Cæſare congreſ- „ ſi ſunt...... Hos ego Venetos exiſtimo Venetorum circa „ Adriam auctores eſſe, quando reliqui etiam fere omnes „ Celtæ, qui in Italia ſunt, ex transalpinis eo immigrave- „ runt regionibus, ut Boii & Senones. „

Hæ ſunt Gallicæ illæ coloniæ, quæ in hiſtoria Romana tam illuſtre ſibi poſtea nomen pepererunt. Ex iis Gallos Senones A. V. C. 364. Romam occupaſſe, ex LIVIO, (g) FLORO, (h) STRABONE (i) addiſcimus. Multis dein prœliis a Romanis victi, funditus tandem exciſi ſunt A. V. C. 463. referente POLYBIO. (k) Idem fere accidit Boiis; qui poſtquam adverſa ſæpius fortuna cum Romanis conflixiſſent, ab his tandem Italia ejecti ſunt, & inter Tauriſcos ad Danubium ſedes poſuerunt. STRABO (l) de Celtis in Italia ſermonem faciens : μέγιστα ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοΐοι καὶ Ἴνσουβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένονες μετὰ Γαισατῶν· τούτους μὲν οὖν ἐξέφθειραν ὕστερον τελέως Ῥωμαῖοι, τοὺς δὲ Βοΐους ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων, μεταστάντες δ' εἰς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον τόπους, μετὰ Ταυρίσκων ᾤκουν πολεμοῦντες πρὸς Δάκας, ἕως ἀπώλοντο πανεθνεί. " Maximæ Celtarum gentes erant Boii & Inſubres, & qui Romam aliquando ſubita incurſione ceperunt, Senones cum Gæſatis. „ Hos quidem poſtea temporis funditus deleverunt Romani. Bojos autem ſuis domiciliis ejecerunt, qui deinde „ ad Iſtrum transmigrarunt, ſedibuſque inter Tauriſcos „ ſumtis contra Dacos bellum geſſerunt, donec tota ipſorum

(g) Libr. V. cap. 35. ſqq.
(h) Libr. I. cap. 13.
(i) Libr. V. p. 325. ſq.
(k) Libr. II. p. 150.
(l) Libr. V. p. 325. ſq.

rum gens funditus est excisa.„ (m) Migratio Bojorum ex Italia contigisse videtur P. Cornelio Scipione, & M. Acilio Glabrione Coss. A. V. C. 562. (n) Cæterum id adhuc de Celticis in Italia Coloniis notandum, celeberrimas Italiæ urbes, maximam partem hodieque florentes, illis suam originem debere. Mediolanum, uti paulo ante ex Livio vidimus, a Gallis Insubribus; Vercellæ a Salyis; Novaria a Vertacomacoris Vocontiis; qui Bellovesi forsan copiis se in itinere adjunxerant, Ticinum a Lævis; Laus Pompeja a Boiis extructæ sunt. PLINIUS: (o) " Vercellæ Libycorum ex Sallyis ortæ, Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago, non ut Cato existimat, Ligurum: ex quibus Levi & Marici condidere Ticinum, non procul a Pado, sicut Boii trans Alpes provecti Laudem Pompejam, Insubres Mediolanum.„ Brixiam & Veronam a Cenomanis conditas LIVIUS (p) indicare videtur: " Manus Cænomanorum, inquit, ubi nunc Brixia & Verona urbes sunt, considunt.„ A Gallis certe illas originem trahere scribit JUSTINUS, (q) & ad eosdem quoque Comi, Bergami, Tridenti, Vicentiæ urbium origines refert: " Galli, cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.„

§. LIII.

Coloniæ Celt. trans Rhenum.

Enumeratis ita coloniis Celticis, quæ trans Alpes in Italiam penetrarunt, illæ quæ trans Rhenum sunt ductæ, nobis quoque examinandæ supersunt. Sigovesiana antiquiorem

(m) Conf. PLINIUS Libr. III. c. 15. POLYBIUS Libr. II. p. 165.
(n) LIVIUS Libr. XXXVI. c. 39.
(o) Histor. Nat. Libr. III. c. 17.
(p) Libr. V. c. 34.
(q) Libr. XX. c. 5.

Colonia Sigovef.

quiorem Historici, quos tenemus, non produnt. Mentio ejus obiter jam ad §. LI. facta est, notatumque illam cum Bellovesiana, quæ in Italiam migravit, eodem ex regno, eadem ex causa, eodem quoque tempore fuisse susceptam. Livius, cujus præcipua fuerat cura Bellovesianam expeditionem describere, in exponenda Sigovesiana brevior est; præteritis populorum nominibus, qui partem ejus fecerunt; sedibus etiam, in quas illi migrare decreverant, indicatis generatim. "Tunc Sigoveso, inquit, sortibus „ dati Hercinii saltus „ uti ad §. LI. jam vidimus. Sylvæ hujus situm & immensam magnitudinem describit CÆSAR: (r) "Hercyniæ silvæ latitudo IX. dierum expedi- „ to patet. -- Oritur ab Helvetiorum, & Nemetum, & Rau- „ racorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione per- „ tinet ad fines Dacorum & Anartium: hinc se flectit si- „ nistrorsus, diversis a flumine regionibus, multarumque „ gentium fines propter magnitudinem attingit: neque „ quisquam est hujus Germaniæ, qui se adisse ad initium „ ejus silvæ dicat, quum dierum iter LX. processerit, aut „ quo ex loco oriatur, acceperit. „ JUSTINUS de expeditione Gallorum, trans Rhenum facta, hæc habet: "Galli „ abundanti multidine, cum eos non caperent terræ, quæ „ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas „ quærendas, *velut ver sacrum miserunt*. Ex his portio „ in Italia consedit, - - portio Illyricos sinus, ducibus avi- „ bus; nam augurandi studio Galli præter cæteros callent; „ per strages barbarorum penetravit, & in Pannonia con- „ sedit: gens aspera, audax, bellicosa: - - ibi domitis Pan- „ noniis per multos annos cum finitimis varia bella gesse- „ runt. „ Gallicam ergo hanc Sigovesi coloniam ex Gallia Celtica versus fontes Danubii, silvamque Hercyniam ductam fuisse, indubium est, profitente id LIVIO. (s) Veri-

(r) Libr. VI. de B. Gall. c. 25. (s) Libr. V. c. 34.

Verisimile, Sigovesi ex Gallia in Germaniam transitum in partibus Alsatiæ factum; rectius certe iter esse non poterat. Nec pauciores etiam numero copias Belloveso fratre Sigovesum duxisse credendum est. Regis Ambigati avunculi sui jussu uterque profectus. Regi ambo erant pari necessitudinis vinculo juncti: utrique a Rege, quantum vellent, numerum hominum legere concessum est. Bellovesi manus trecentorum millium fuisse ex Trogo Justinus cum referat, Sigoveso dimidiam partem, sive centum & quinquaginta millia tribuere possumus; quæ ipso duce novas sibi sedes trans Rhenum quæsiverint. Singulorum populorum, qui in hoc exercitu fuerunt, nomina, & quas singuli occupaverint sedes, cum nec Livius, nec Justinus memoraverint, apud alios quærendum Historicos, qua ratione colonia hac & circa saltus Hercynios, & in Pannonia, & ad sinus Illyricos atque alibi deinceps consederit per partes.

§. LIV.

Pertinent huc I°. Helvetii & Boii; de quibus TACITUS: (t) "Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Julius tradit; eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque sedes, promiscuas adhuc & nulla regnorum potentia divisas. Igitur inter Hercyniam silvam, Rhenumque & Mœnum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus." Gallicam Helvetiorum Helvetii.

(t) De mor. Germ. cap. 28.

rum originem, quam ex neotericis ſcriptoribus AVENTINUS, (u) CONRADUS PEUTINGERUS, (x) COCCEJUS, (y) SPENERUS, (z) aliique negant, recentiſſimus vero hiſtoriæ Helveticæ auctor LAUFFERUS in dubium vocat, (a) veteres conſtanter agnoverunt, ſuaque auctoritate ex rerum Helveticarum ſcriptoribus TSCHUDIUM, (b) STUMPFIUM, (c) GUILLIMANNUM, (d) PLANTINUM, (e) & nuperos Helveticæ hiſtoriæ Epitomatores, FUESLINUM, (f) atque BECKIUM, (g) in ſententiam ſuam pertraxerunt. CÆSAR: (h) " Helvetii reliquos Gallos virtute præcedunt, „ quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt. „ Item: (i) " Non eſſe dubium, quin totius „ Galliæ plurimum Helvetii poſſent. „ Cum Helvetii, ſedibus relictis, in alias Galliæ partes migrare, & totius Galliæ principatum obtinere tentarent; Cæſarque cum exercitu ſe eis opponeret, Liſcus Aeduus cauſam apud Cæſarem exponit, (k) cur ille ab Aeduis debito commeatu non juvaretur: " Quod præſtare dicant, (Aedui) „ ſi jam principatum Galliæ obtinere non poſſint, Gallo- „ rum, quam Romanorum, imperia perferre; neque dubi- „ tare debeant, quin, ſi Helvetios ſuperaverint Romani, una

(u) Annal. Boic. Lib. I. cap. 6.
(x) Apud CRUSIUM Annal. Suev. Part. I. Libr. II. c. 5.
(y) Proleg. Jur. publ.
(z) Notit. Germ. ant. Lib. IV. c. 2.
(a) Tom. I. p. 36.

(b) In Helvetiæ veteris delineatione, germ. ſcripta, quæ nondum typis impreſſa, pag. 1. ubi primum, ſive ſupremum inter Gallos Rhenenſes locum Helvetios occupare ſcribit.

(c) Chron. Helvet. Lib. IV. c. 1.
(d) Rer. Helvet. Libr. I. p. 1.
(e) Helvet. antiq. & nova cap. 1.
(f) Epit. hiſt. Helvet. Lib. I. c. 2.

(g) JOH. CHRISTOPH. BECKII, Prof. Hiſtor. olim, nunc Theol. celeb. Introductio in Hiſt. patriam Helvetior. cap. 1.
(h) De B. G. Libr. I. c. 1. (i) Lib. I. c. 3. (k) Lib. I. c. 17.

una cum reliqua Gallia Aeduis libertatem ſint erepturi.„ LIVIUS: (l) "L. Caſſius Conſul a Tigurinis Gallis, pa-„ go Helvetiorum, qui a civitate ſeceſſerant, in finibus„ Allobrogum cum exercitu cæſus eſt.„ PLINIUS: (m) „Produnt Alpibus coërcitas & tum inexuperabili muni-„ mento *Gallias* hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfun-„ dendi ſe Italiæ; quod *Elico ex Helvetiis, civis earum*, fabri-„ lem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam„ oleique ac vini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet.„ TACITUS: (n) "Helvetii, Gallica gens, olim armis vi-„ riſque, mox memoria nominis clara.„ FLORUS: (o) "Aſia Pompeji manibus ſubacta, reliqua quæ reſtabant„ in Europa, fortuna in Cæſarem tranſtulit. Reſtabant au-„ tem immaniſſimi gentium, Galli atque Germani. - - Pri-„ mus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit, qui Rhodanum„ inter & Rhenum ſiti.„ OROSIUS (p) Helvetiorum, fortiſſimæ Gallorum omnium gentis, meminit. Hos itaque Helvetios, ex Cæſaris teſtimonio, Galliæ Celticæ populum, numeroſam coloniam inter copias Sigoveſi in vicina Germaniæ loca miſiſſe, & ex limitibus, quos Tacitus eis aſſignat, magnam eos, Sueviæ, Franconiæ, Palatinatus ſuperioris & aliquam inferioris, Moguntini item & Darmſtadienſis diſtrictuum partem haud dubie occupaſſe conjicimus. Tractu temporis pars quædam hujus coloniæ, neglecta Germania, fertilitati Italiæ inhiaſſe videtur; unde pars iſta Germaniæ, ab Helvetiis deſerta, Eremus Helvetiorum appellata: quod nomen nobis CLAUDIUS PTOLEMÆUS Geographus ſervavit in deſcriptione Germaniæ, (q) ubi: Ἡ τῶν Ἐλλυητίων Ἔρημος μέχρι τῶν εἰρημένων τῶν Ἀλπίων ὀρῶν.

Elve-

(l) Epitom. Libr. LXV.
(m) Hiſt. Lib. XII. c. 1.
(n) Hiſt. Lib. I. c. 67. & c. 28. de mor. Germ.
(o) Libr. III. cap. 10.
(p) Hiſtor. Lib. VI. cap. 1.
(q) Lib. II. cap. 11. pag. 57.

"'Elvetiorum Eremus usque ad montes, qui Alpes dicuntur.„ Quem locum intra terminos, quos colonia hæc Helvetica inhabitavit, auctores ex recentioribus probati constituunt. (r)

§. LV.

Boii. II°. Boii, Gallica quoque gens procul dubio fuerunt. Magnam eorum manum superatis Alpibus in Italia consedisse §. LI. & LII. dictum. Verum etiam aliam eorum coloniam, haud minus insignem, Sigovesum in Germaniam secutam esse reperimus. Sedes illa suos, teste Tacito, in Helvetiorum vicinia posuit; quibus amicitia quoque conjuncti fuisse videntur; adeo, ut etiam in bello Helvetico, quod sub Cæsare gestum est, Helvetiis patria emigrantibus se adjunxerint socios, & ad exercitum eorum triginta duo militum millia adduxerint. Cæso Helvetiorum exercitu Cæsar, Æduis, ut in finibus suis Bojos collocarent petentibus, petitum concessit: illisque dein in parem juris libertatisque conditionem receptis, Aedui agros dederunt; uti CÆSAR (s) ipse memoriæ prodidit. Unde L. Pisone & A. Gabinio Coss. A. V. C. 696. magna Boiorum pars in priscam patriam reversa, in Gallia Celtica sedes recepit; inter Lugdunensis Galliæ populos, una cum Aeduis, Carnutibus, Senonibus & Aulercis, a PLINIO (t) reputati; in ea præter propter regione, quæ hodie *le Bourbonnois* vocatur. Oppidum eorum fuit Gergovia, a CÆSARE memorata. (u) Sed ut ad domicilia Bojorum in Germania redeamus, illa in ipsis Hercyniis saltibus fuerunt. STRABO (x) ex Posidonio: Ποσειδώνιός φησι καὶ Βοΐυς τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν

(r) SUIZERUS in Chronol. Helv. Part. I. p. 13. ORTELIUS in thes. Geogr.
(s) De B. G. Libr. I. c. 28. sq.
(t) Lib. IV. c. 18.
(u) Libr. VII. c. 9.
(x) Libr. VII. p. 450.

δρυμὸν οἰκεῖν πρότερον· τοὺς δὲ Κίμβρους ὁρμήσαντας ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον ἀποκρουσθέντας ὑπὸ τῶν Βοΐων ἐπὶ τὸν Ἴστρον. "Posidonius refert, Bojos „ quondam Hercyniam incoluisse sylvam: ac Cimbros, „ cum ad ea loca se contulissent, ab iis repulsos „ (y) Fuerunt in illa regione, quæ ducto ab ipsis nomine in hodiernum usque diem Bojohemia appellatur; ut tradit TACITUS. (z) Pulsi inde sunt Cæsaris Augusti ævo a Marcomannis, duce Maroboduo. (a) Hunc novas illas Marcomannorum sedes in incinctis Hercyniæ sylvæ campis esse scribit VELLEJUS PATERCULUS. (b) Quin ipsam illam regionem, a Maroboduo occupatam, *Bojohæmum* appellat. (c) "Sentio Saturnino mandatum, ut per „ Cattos, excisis continentibus Hercyniæ silvis, legiones Bo- „ iohæmum, (id regionis, quam incolebat Maroboduus, „ nomen est) duceret. „ In Norico porro sedes Boiorum deprehendimus. Cæsar Boiorum, qui in Noricum transierant, mentionem facit. (d) "Helvetii, inquit, Bo- „ ios, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Nori- „ cum transierant, Noricamque oppugnarant, receptos „ ad se socios sibi adsciscunt. „ Urbs Boiodurum, ad ipsum Danubii trajectum posita, nominis quoque Boiici in illis partibus clara diu vestigia servavit. In confiniis Vindeliciæ & Norici ripensis sita fuit; eo in loco, quo Oenus fluvius utrasque provincias interfluit. Hinc PTOLEMÆUS (e) inter urbes Vindeliciæ numerat: Πόλεις δέ εἰσιν ἐν τῇ Οὐινδελικίᾳ

(y) Idem Posidonius narrat loco alleg. Cimbros, a Boiis repulsos, Istrum & Scordiscos Tauriscosque, petivisse; tumque Helvetios, & speciatim Tigurenos Tugenosque, sese proficiscentibus in Italiam junxisse. Inter Cimbros hos cum Boiorix fuerit, FLORUS Libr. III. c. 3. & epitome LIVII Libr. LXVII. Boios quoque Cimbrici belli socios fuisse, haud inepte conjicitur. Boiorigis, reguli cujusdam Boiorum, meminit etiam LIVIUS Libr. XXXIV. cap. 45.

(z) De mor. Germ. c. 28.

(a) STRABO Libr. VII. p. 445.

(b) Libr. II. c. 108.

(c) Cap. 109.

(d) De B. Gall. Lib. I. c. 5.

(e) Libr. II. Geogr. c. 14.

δελκίᾳ παρὰ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμὸν Ἀρτόβριγα, Βοιόδουρον. "Civitates „autem ſunt in Vindelicia ad Danubium amnem, Arto-„briga, Boiodurum.„ Liber Notitiarum Imperii autem in Norico Ripenſi ejus meminit: "ſub diſpoſitione ducis „Pannoniæ primæ & Norici Ripenſis; Tribunus Cohortis „Boiodoro.„ Urbem hanc *Pataviam* poſtea vocatam Lazius & Aventinus arbitrantur. Bruſchius vero, quod eodem fere redit, ad vicinum Oeni fluminis oſtium, ubi *Inſtatt* eſt, eam retulit. Magnus porro agri modus, a Vindelicorum finibus ad Pannoniam uſque Norici longitudine fuſus, *Deſerta Boiorum* appellatur; recteque adeo pronuntiavit VELSERUS: (f) "Toto propemodum itinere ab „Herciniis nemoribus in Aſiam uſque Boiici nominis veſti-„gia ſparſa deprehendi.„ De deſertis Boiorum STRABO, cum de lacu inter Iſtri & Rheni fontes medio loquitur, hæc habet: (g) Προσάπτονται δὲ τῆς λίμνης ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ῥαιτοὶ, τὸ δὲ πλέον Ἐλουήττιοι καὶ Οὐινδελικοὶ, καὶ ἡ Βοΐων ἐρημία μέχρι Παννονίων. "Lacum „Rhæti exigua parte, majori Helvetii & Vindelici attin-„gunt: inde eſt Boiorum ſolitudo uſque ad Pannonios.„ PLINIUS in Norico: (h) "Noricis junguntur lacus „Peiſo, deſerta Boiorum.„ Nomen hoc a derelictis Boiorum ſedibus, cum in Aſiam illi trajeciſſent, vel una cum Helvetiis in occidentalem Galliæ partem penetraſſent, ortum eſſe videtur.

§. LVI.

Volcæ Tectoſages. Sigoveſianis coloniis accenſendi ſunt III°. Volcæ Tectoſages, a CÆSARE, (i) MELA, (k) PLINIO, (l) STRA-

(f) Rerum Boicar. Libr. II. p. 39.
(g) Libr. VII. p. 449.
(h) Libr. III. hiſt. cap. 24.
(i) De B. G. Libr. VI. c. 24.
(k) De ſitu orbis Libr. II. c. 5.
(l) Libr. III. c. 4.

STRABONE, (m) PTOLEMÆO, (n) *Tectosages;* a LIVIO, (o) FLORO, (p) JUSTINO (q) & AUSONIO (r) *Tectosagi* appellati. Volcæ Narbonensis Galliæ populi fuerant, divisi in Volcas Arecomicos, & Volcas Tectosagas. Illi ad occidentalem Rhodani ripam habitabant; gentisque caput Nemausus. Hi ad Pyrenæos montes accedebant, Tolosamque ditionis suæ habebant metropolin; STRABONE, (s) PLINIO (t) & PTOLEMÆO (u) docentibus. Quanquam igitur non Celticæ, sed Narbonensi fuerint Galliæ adscripti, tamen Sigoveso, ex Gallia Celtica exeunti, socios se junxisse verisimile est. STRABO: (x) Οἱ δὲ Τεκτοσάγες καλούμενοι τῇ Πυρήνῃ πλησιάζουσιν· ἐφάπτονται δὲ μικρὰ καὶ τοῦ προσαρκτίου πλευροῦ τῶν Κεμμένων. -- ἐοίκασι δὲ καὶ δυναστεῦσαί ποτε καὶ εὐανδρῆσαι τοσοῦτον, ὥστε στάσεως ἐμπεσούσης ἐξελάσαι πολὺ πλῆθος ἐξ ἑαυτῶν ἐκ τῆς οἰκείας· κοινωνῆσαι δὲ τούτοις καὶ ἄλλους ἐξ ἄλλων ἐθνῶν. "Tectosages ad Pyrenem accedunt, & septentrionalem montium Cemmenorum partem nonnihil attingunt. Probabile est, eos quondam potentia ac multitudine hominum excelluisse adeo, ut oborta seditione magnam multitudinem suorum domo expulerint, cui se etiam alii ex aliis gentibus adjunxerint." CÆSAR (y) eos circa silvam Hercyniam, quo Sigovesum cum exercitu suo progressum esse supra vidimus, sedes occupasse refert: "Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent."

Ita-

(m) Libr. IV. p. 286. Libr. XII. pag. 850.
(n) Libr. II. cap. 10.
(o) Libr. XXXVIII. cap. 16.
(p) Libr. II. cap. 11.
(q) Libr. XXXII. cap. 3.
(r) De claris Urbibus XIII.
(s) Libr. IV. p. 284.
(t) Libr. III. c. 4.
(u) Libr. II. cap. 10.
(x) Libr. IV. p. 286.
(y) Libr. VI. de B. G. c. 26.

„Itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ loca circum „Hercyniam silvam, quam Eratostheni, & quibusdam „Græcis fama notum esse video, quam illi Orciniam ap„pellant, Volcæ Tectosages occuparunt, atque ibi conse„derunt.„ LACARRIUS (z) ut ex Tectosagis Cattos, ex Cattis Francos dein derivaret, Cattos Germaniæ eosdem cum Tectosagis nostris fuisse credidit, eamque partem Tectosagum, quæ Brenno duce Macedoniam & Græciam depopulata sit, in Cattos, seu Hassos transgressam esse, Hassiamque eam postea Franciam transrhenanam dictam fuisse. Præcipuum ei argumentum est, quod Cattis a Tacito ad silvam Hercyniam eædem assignentur sedes, quæ Tectosagibus a Cæsare. Sed dici hæc facilius, quam probari potuerunt; & nimis laxe nobis Cattorum Tectosagumque limites describuntur, quam ut illos in iisdem locis habitasse, eosdemque fuisse populos demonstrari posset. Partem aliquam Cattorum Tectosagos occupasse, potest admitti. At Cattos omnes a Tectosagis derivare, & unam ex utrisque gentem constituere, temerarium est.

Gothini. IV°. Gothinos, Germaniæ versus Viadrum incolas, ex coloniis Gallorum Sigovesum quoque secutos esse credimus. Terga Marcomannorum claudebant, atque ita, antequam pulsi fuerunt ex Bojohemia Boii, in Boiorum vicinia habitaverant. Gallica lingua suo adhuc ævo usos esse, & hinc Gallicam illos prodere originem, TACITUS (a) testatur. "Nec minus valent retro Marsigni, Go„thini, Osi, Burii: terga Marcomannorum Quadorum„que claudunt. -- Gothinos Gallica, Osos Pannonica lin„gua coarguit non esse Germanos; & quod tributa pa-tiun-

(z) De Colon. Gallor. Libr. I. cap. 4. p. 62. & Libr. V. cap. 1. p. 242.
(a) De Mor. Germ. c. 43.

„tiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi „ut alienigenis imponunt.„

Referendi huc fortasse etiam sunt V°. Aestyi, qui ad dextrum maris Suevici, hodie Balthici, litus, atque adeo in Borussiæ, Lithuaniæ, Livoniæque partibus habitarunt. Linguam enim eorum Britannicæ propriorem esse tradit TACITUS: (b) "Dextro Suevici maris litore Aestyo-„rum gentes alluuntur; quibus ritus habitusque Suevo-„rum, lingua Britannicæ propior.„ Britannicam vero linguam eandem cum Celtica, ortamque ex ea fuisse, idem TACITUS (c) docet. Celticam originem idioma indicat. Sed & cultura agrorum, quod studium apud eos viguerat, Germanos non fuisse testatur. "Frumenta, addit Taci-„tus, cæterosque fructus patientius, quam pro solita Ger-„manorum inertia, laborant.„ Ejusdem negligentiæ Germanos Cæsar accusat: (d) "Agriculturæ non student,„ majorque pars victus eorum lacte, & caseo, & carne con-„sistit.„ Aestyi.

§. LVII.

Sigovesianam coloniam Illyricos sinus penetrasse, cum annotet Justinus, in illis etiam partibus Gallicæ originis populi, Sigovesianæ expeditionis quærendi sunt socii. Pertinent huc itaque VI°. Carni, togatæ Galliæ populi, inter Venetos & Istros medii, & ita non procul ab Illyrico positi; a Venetis Tilavento fluvio; ab Istris Formione; a Noricis vero gentibus Alpium jugis divisi. Aquilejam & Tergesten inter urbes eorum veteres Geographi recen- Carni.

(b) De mor. Germ. c. 45.
(c) Agricol. cap. 11.
(d) De B. G. Libr. VI. c. 22.

recensent. POMPONIUS MELA (e) de Italia: "Interiora ejus aliæ aliæque gentes: sinistra parte Carni & „Veneti colunt togatam Galliam.„ PLINIUS: (f) "Veneti, Carni, Japides, Istri, & in decima Italiæ regione; (g) Tilaventum majus minusque, Anassum, quo „Varramus defluit, Alsa, Natiso cum Turro, præfluentes Aquilejam coloniam, XII. M. passus a mari sitam. „Carnorum hæc regio, junctaque Japidum. -- Tergestinus sinus, colonia Tergeste, XIII. M. pass. ab Aquileja. Ultra quam VI. M. pass. Formio amnis, ab Ravenna CLXXXIX. pass. antiquus Italiæ auctus terminus, „nunc vero Istriæ.„ STRABO: (h) Ἐγγὺς ἤδη τῦ Ἀδριατικῦ μυχῦ καὶ τῶν κατὰ Ἀκυλήϊαν τόπων οἰκῦσι, Νωρικῶν τέ τινες καὶ Κάρνοι. "Vicini jam Adriatici sinus intimo & locis ad Aquilejam „habitant Noricorum quidam & Carni.„ Ὑπὲρ δὲ τῶν Ἐνετῶν Κάρνοι. (i) "Supra Venetos Carni.„ Ῥαιτοὶ δὲ καὶ Νωρικοὶ μέχρι τῶν Ἀλπείων ὑπερβολῶν ἀνίσχυσι, καὶ πρὸς τὴν Ἰταλίαν περινεύυσιν, οἱ μὲν Ἰνσύβροις συνάπτοντες, οἱ δὲ Κάρνοις, καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἀκυλήϊαν χωρίοις. (k) "Rhæti & Norici usque ad Alpium summa assurgunt, & „versus Italiam vergunt, alii Insubres, alii Carnos, & „quæ sunt circa Aquilejam loca, attingentes.„ Ἐκ Τεργέστε κώμης Καρνικῆς ὑπέρθεσίς ἐςι. (l) "A Tergeste vico Carnico trajectus est.„ PTOLEMÆUS in Italia: (m) Καρνῶν ὁμοίως ἐν τῇ ἐπιςροφῇ τῦ Ἀδρίυ κόλπυ ὁ μυχὸς τῦ κόλπυ, ἐν ᾧ ἐςι Τιλαουέμπτυ ποταμῦ ἐκβολαὶ, Νατίσωνος ποταμῦ ἐκβολαί. "Carnorum similiter post inflexionem Hadriatici sinus, intimus sinus, in quo est „Tilavempti fluvii ostium, Natisonis fluvii ostia.„ Hos autem Carnos origine Gallos fuisse, Fragmentum fastorum trium-

(e) Libr. II. c. 4.
(f) Histor. nat. Libr. III. cap. 5.
(g) Cap. 18.
(h) Libr. IV. p. 316.
(i) Libr. V. p. 330.
(k) Libr. VII. p. 449.
(l) Libr. VII. p. 482.
(m) Libr. III. Geogr. cap. 1.

triumphalium nos docet: (n) "Q. Aemilius M. F. L.„ N. Scaurus Cos. A. de Galleis Karneis.„

VII°. Japodes, Japydes, Japides Carnorum vicini fuerunt. Hunc quoque populum ex eadem ratione, qua Carnos, coloniis Sigovesianis non dubitamus adscribere. Originem eos a Gallis trahere, docet STEPHANUS BYZANTINUS, (o) ubi eos gentem Celticam vocat: Ἰάποδες ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῇ Ἰλλυρίᾳ. Διονύσιος ἑκκαιδεκάτῳ. "Japodes gens„ Celtica juxta Illyriam. Dionysius Libr. XVI.„ STRABO (p) gentem, partim Celticam, partim Illyricam, Celtis Illyriisque permixtam refert: (q) Καὶ οἱ Ἰάποδες δὲ τοῦτο ἤδη ἐπίμικτον Ἰλλυριοῖς καὶ Κελτοῖς ἔθνος. "Japodes quoque permixta„ nunc Illyriis & Celtis gens.„ Item: (r) Ἡ δὲ Σεγεστικὴ πόλις -- ὑποπέπτωκε ταῖς Ἄλπεσιν· αἳ διατείνουσι μέχρι τῶν Ἰαπόδων, Κελτικοῦ τε ἅμα καὶ Ἰλλυρικοῦ ἔθνους. "Urbs Segestica sita est sub Alpibus, quæ„ ad Japodes usque porriguntur, gentem partim Celti-„ cam, partim Illyricam.„ Situm eorum describit PLINIUS: (s) "Carnorum hæc regio, juncta Japidum.„ STRABO: (t) Ἵδρυνται οἱ Ἰάποδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι, ὑψηλῷ σφόδρα. Τῇ μὲν ἐπὶ τοὺς Παννονίους καὶ τὸν Ἴστρον καθήκοντες, τῇ δ' ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν, ἀρειμάνιοι μὲν, ἐκπεπονημένοι δὲ ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος τελέως· πόλεις δ' αὐτῶν Μέτουλον, Ἀρούπινος, Μονήτιον, Οὐένδος· -- μετὰ δὲ τὴν τῶν Ἰαπόδων ὁ Λιβυρνικὸς παράπλους ἐστί. "Siti sunt Japodes sub„ Albio monte, qui finis est Alpium, admodum alto: ac„ partim

(n) Apud GRUTER. Tom. I. Inscript. p. 298.

(o) Japodes a STRABONE & STEPHANO BYZANTINO, Japides a PLINIO, Japydes a PTOLOMÆO Libr. II. c. 27. p. 65. & DIONE CASSIO Libr. XLIX. p. 412. vocantur.

(p) Pag. 207.

(q) Libr. IV. p. 317.

(r) Libr. VII. p. 482.

(s) Libr. III. c. 18.

(t) Libr. VII. p. 483.

Japydes.

„ partim ad Pannoniam & Istrum pertingunt; partim ad „ Adriam, bellicosa gens, sed ab Augusto Cæsare defatigata. Urbes eorum Metulum, Arupinus, Monetum, „ Vendus. Post Japodum oram Liburnica succedit.„ Internecinam gentis hujus cladem, quæ A. V. C. 721. L. Cornificio & S. Pompejo Coss. contigit, DIO CASSIUS (u) narrat. Accensendi tandem inter Sigovesianæ coloniæ populos sunt

Taurisci. VIIIº. Taurisci, & ipsi quoque olim Carnorum vicini; ideoque a Tauriscis, qui etiam Taurini dicebantur, & quorum mentionem Stephanus de urbibus facit, distinguendi omnino. Gallicam eorum originem STRABO manifestat: (x) Ποσειδώνιός φησι Κίμβρους ἀποκρουσθέντας ὑπὸ τῶν Βοΐων ἐπὶ τὸν Ἴστρον καὶ τοὺς Σκορδίσκους Γαλάτας καταβῆναι, εἶτ' ἐπὶ Τευρίστας καὶ Ταυρίσκους, καὶ τούτους Γαλάτας. "Posidonius inquit, Cimbros a „ Boiis repulsos ad Istrum & Scordiscos Gallos descendisse, inde ad Teuristas, ac Tauriscos, & hos quoque „ Gallos.„ Porro: (y) Οἱ Δακοὶ καταπολεμήσαντες Βοΐους καὶ Ταυρίσκους ἔθνη Κελτικά. "Daci debellantes Bojos & Tauriscos „ Celticas gentes.„ Norico illi olim fuerant adscripti, & in recessu Adriatici sinus & circa Aquilejam habitaverant. STRABO: (z) Μετὰ δὲ τούτους οἱ ἐγγὺς ἤδη τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχοῦ καὶ τῶν κατὰ Ἀκυληΐαν τόπων οἰκοῦσι, Νωρικῶν τέ τινες καὶ οἱ Κάρνοι· τῶν δὲ Νωρικῶν εἰσι καὶ οἱ Ταυρίσκοι. "Post hos vicini jam Adriatici sinus intimo & „ locis ad Aquilejam habitant Noricorum quidam & Carni. Noricorum sunt etiam Taurisci.„ PLINIUS: (a) "Juxta Carnos quondam Taurusci appellati, nunc Norici.„ Partem quoque eos Pannoniæ a tergo montis Claudii occupasse, idem PLINIUS (b) in Pannonia docet: "Mons „ Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci.„

§. LVIII.

(u) Libr. XLIX. p. 412.
(x) Libr. VII. p. 450.
(y) Pag. 481.
(z) Libr. IV. p. 316.
(a) Libr. III. c. 20.
(b) Libr. III. c. 25.

§. LVIII.

Urbes a Sigovesiana colonia extructæ.

Enarratis gentibus, quæ cum Sigoveso ex Gallia trans Rhenum migraverant, & per litora Danubii, per silvam Herciniam, & per sinus Illyricos in Pannoniam usque se diffuderant, commemorandæ sunt urbes, à Gallis his colonis vel appellatæ vel conditæ. Pertinent huc civitates, quarum nomina in *Durum* desinunt, qua terminatione Celtæ urbes ad fluvios positas designaverunt. PTOLEMÆUS (c) in Rhætia ad Danubium memorat BRAGODURUM, quod *Biberach* interpretantur; ad Rhenum non procul a Brigantio EBODURUM & ECTODURUM. In Tabula Peutingeriana in Norico occurrit ad Danubium SERVIODURO XXVII. M. pass. a Regino ortum versus distans, quod *Straubingen* esse creditur. BOJODURI ad §. LV. in Boiis, Noricum colentibus, mentio facta. Celticam originem produnt tot Galliæ veteris eadem cum terminatione oppida, quot in aliis terræ partibus vix repetiuntur. In Itinerario Antonini, à Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum, occurrit SALODURUM ab Aventico M. P. XXIII. In itinere per ripam Pannoniæ a Taururo in Gallias ad Legion. XXX. VITUDURUM, a Finibus M. P. XX. & a Vindonissa M. P. XXIV. In itinere à Mediolano per Alpes Cottias Viennam AUTESIODORUM. Ab Augustoduno Luticia Parisiorum, *Brivodurum*: A Burdigala Augustodunum, *Ernodurum*: A Mediolano per Alpes Grajas Argentorato, *Velatudurum* M. P. XXII. Visontione ut & *Epamantadurum* M. P. XII. a Velatuduro remotum. In itinere à Colonia Trajana Agrippinam *Feudurum*. Apud PTOLEMÆUM (d) in Gallia Belgica, in Mediomatricibus *Divodurum*; a quo in Itinerario Antonini M. P.

(c) Libr. II. Geogr. cap. 12. (d) Libr. II. cap. 9.

M. P. VIII. *Ibliodurum*; in itinere a Durocortoro Divodurum. Quin & in inferiore Germania in Batavis BATAVODURUM; in Helvetiis GANODURUM; apud TACITUM (e) etiam Agrippinensium vicus MARCODURUM, hodie *Duren*. Locis his subjungimus illa, quæ in *Dunum* exeunt, Celticæ pariter originis. Ita sane in Germania sunt LUGIDUNUM, quod *Glogoviam*; SEGODUNUM, quod *Norimbergam*; MELIODUNUM; CARRODUNUM, quod Bonfinius aliique *Cracoviam*, Poloniæ regiam, interpretantur. Ad Danubium TARODUNUM & RHOBODUNUM a PTOLEMÆO (f) recensentur. In Vindelicia ab eodem PTOLEMÆO (g) commemorantur iterum CARRODUNUM, quod *Kraiburg*, oppidulum Bavariæ inferioris ad Oenum fluvium volunt, & CAMBODUNUM, urbs Sueviæ, *Kempten*. In Norico (h) apud eundem occurrit GESODUNUM, quod *Linzium*, superioris Austriæ caput, existimant. In Pannonia superiore (i) rursus CARRODUNUM, quod Stiriæ inferioris oppidulum *Komburg* esse conjiciunt; & denique NOVIODUNUM, quod Lazius *Neuburg* interpretatur, Stiriæ ejusdem oppidum. In Pannonia quoque Sigovesianas consedisse colonias, ex Justini loco ad §. LIII. prolato (k) docemur. Jam vero, quot urbes hujus non tantum terminationis, sed ejusdem sæpe nominis etiam in Gallia reperiuntur. Triplex in ea *Lugdunum*, unum Galliæ Aquitanicæ in Convenis, alterum Galliæ Lugdunensis in Aeduis, tertium Galliæ Belgicæ in Batavis, a PTOLEMÆO (l) recensita. Quadruplex *Noviodunum*, unum Suessionum in Gallia Belgica; (m) alterum

(e) Libr. IV. cap. 28. Histor.
(f) Libr. II. c. 11. Geogr.
(g) Libr. II. c. 13.
(h) Cap. 14.
(i) Cap. 15.
(k) Libr. XXIV. cap. 4.
(l) Libr. II. Geogr. c. 7. 8. 9.
(m) Cæsar de B. G. Libr. II. c. 12.

alterum in Biturigibus Aquitanis; (n) tertium in Aeduis; (o) & quartum in Aulercis, Galliæ Lugdunensi adscriptis. (p) PTOLEMÆUS (q) in Aeduis ponit *Augustodunum*, in Turoniis *Cæsarodunum*, in Rhutanis Aquitanis *Segodunum*. In Itinerario Antonini, in itinere a Mediolano Arelate per Alpes Cottias, reperimus *Eburodunum;* a Caturigibus M. P. XVII. a Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum, *Minnodunum* ab Aventico Helvetiorum M. P. XIII. in itinere a Durocortoro Divodurum *Virodunum*. His dein accessere *Mancedunum*, *Dunum castrum*, *Exoldunum*, *Lausdunum*, *Magdunum*. (r) Terminatio horum locorum, ea olim in collibus sita fuisse indicat. *Dunum* vox Celtica collem denotat. Arenacei illi colles ad oceani littus Belgis hodieque *Dunes* appellantur. Gallis porro adscribimus urbes, in *bona* desinentes, quales sunt *Brigobona* ad Danubium in Rhætiis, *Beyern* vocant, cujus in Tabula Theodosiana fit mentio; *Vindobona*, quæ hodierna Vienna Austriæ, & in Itinerario Antonini, in itinere de Pannoniis in Gallias, per mediterranea loca, occurrit. *Juliobona* certe Caletum, & *Augustomana* Tricassium, Galliæ Lugdunensis urbes, a PTOLEMÆO memorantur. (s) Augustomana scilicet in Itinerario Antonini, in itinere a Carocontino Augustobonam, *Augustobona* vocatur; prout ipsa Vindobona vicissim in Notitia imperii sub dispositione ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripensis *Vidomana* dicitur. Tandem *Visontium* Pannoniæ superioris, quod apud PTOLEMÆUM, (t) & *Carnuntum* Norici vel Pannoniæ quoque superioris oppidum, quod apud VELLEJUM PATERCULUM

(n) CÆSAR de B.G. Libr. VII. c. 12.
(o) Idem Libr. VII. c. 55.
(p) PTOLEMÆUS Libr. II. c. 8.
(q) Libr. II. c. 7. 8.
(r) De his HADRIANUS VALESIUS in Notitia Galliarum.
(s) Libr. II. Geogr. c. 8.
(t) Libr. II. c. 18.

CULUM (u) & PLINIUM (x) occurrit, *Mogentiana* denique in Itinerario Antonini, in itinere a Sabaria Acinco, superioris Pannoniæ oppidum, ipsis nominibus suis, quæ celeberrimis veteris Galliæ urbibus respondent, Gallicam ipsarum originem profitentur. Boicam quoque originem sapit *Bononia*, in Pannonia superiore a PTOLEMÆO (y) relata. Nota est hujus nominis urbs in agro Boiorum, in Gallia cis-padana; quæ cum *Felsina* olim vocata fuisset, a Boiis dein nomen Bononiæ acceperat. (z) Bononiam Morinorum in Gallia heic non allego, quod illa priscis temporibus *Gessoriacum* appellata fuit, & nonnisi circa sæculum IV. Bononiæ nomen accepit, uti ex Tabula Theodosiana docemur.

Hæc de Sigovesiana Gallorum colonia; de gentibus, quæ eam composuerunt; de regionibus, quas occuparunt; de urbibus, quas extruxerunt; quantum obscura illorum temporum notitia permittit, in omni antiquitate reperi. Hominum multitudo, qua Gallia tum abundaverat, numerosæ hujus coloniæ ducendæ necessitatem imposuisse videtur. Fervida juventus, numero abundans, relictis patriæ sedibus, novas in Hercyniis Germaniæ saltibus, in Norico, in Pannonia sibi sedes quæsivit.

§. LIX.

Colonia Cambaulis

Quin & hi ipsi coloni, longo seculorum decursu, in solo etiam alieno multiplicati, finibus suis denuo egressi in vicinis Thraciæ regionibus consederunt. Expeditionem hanc a Gallis, non ex Gallia, sed ex nova sua patria, id est, ex ipsis eorum coloniis susceptam, describit PAUSANIAS: (a) Ὑστέρῳ

(u) Libr. II. c. 109.
(x) Libr. IV. c. 12.
(y) Libr. II. c. 15.
(z) LIVIUS Libr. XXXVII. c. 57. coll. PLINII Libr. III. hist. c. 16.
(a) Libr. X. p. 843.

ὅριον μὲν οἱ Κελτοὶ στρατείαν πρώτην ὑπὸ ἡγεμόνι ἐποιήσαντο Καμβαύλῃ· προελθόντες δὲ ἄχρι τῆς Θρᾴκης τὸ πρόσω τῆς πορείας οὐκ ἀπεθάρσησαν, καταγνόντες αὑτῶν, ὅτι ὀλίγοι τε ἦσαν, καὶ οὐκ ἀξιόμαχοι κατ' ἀριθμὸν Ἕλλησιν. "Expeditionem primam Celtæ extra ſuos fines Cambaule,, duce ſuſceperunt. Hi cum ad Thraciam uſque perveniſ-,, ſent, ulterius progredi non auſi ſunt, quod plane intelli-,, gebant, minores eſſe, quas eduxerant, copias, quam,, ut numero Græcorum populis pares eſſe poſſint.,, Migrationem hanc quidem Pauſanias ex primis Celtarum ſedibus deducit, non tamen alias, quam quas Celticæ coloniæ in Germania occupaverant, terras, intellexiſſe putandus eſt. Per *Celticam* eum Germaniam quoque intelligere, §. XXII. oſtendi. Non Sigoveſianam, ſed aliam prorſus expeditionem a Pauſania narrari, plura perſuadent. Illa enim Sigoveſo, hæc duce facta Cambaule. Illa in Hercynios ſaltus & in Pannoniam uſque, hæc uſque ad Thraciam progreſſa. Illa pluſquam trecentis annis Brenni in Græciam adventum, uti mox patebit, præceſſerat, hæc non multis ante annis contigit. Imo Celtas eoſdem, qui ſub Cambaule militaverant, Brenno Græciæ invadendæ conſilium dediſſe, & in ſuſcepta quoque expeditione poſtea ſe ſocios junxiſſe, reperio. PAUSANIAS: (b) Ἐπεὶ δὲ καὶ δεύτερον ἐπιφέρειν ἐδόκει ὅπλα ἐπὶ τὴν ἄλλων, ἐνῆγον δὲ μάλιστα οἱ ὁμοῦ Καμβαύλῃ ἐκστρατεύσαντες, ἅτε ἀπληστίαν ἤδη γεγευμένοι καὶ ἁρπαγῆς, καὶ κερδῶν ἐς ἔρωτα ἥκοντες, πολὺς μὲν δὴ πεζὸς, οὐκ ἐλάχιστοι δὲ ἠθροίσθησαν καὶ ἐς τὸ ἱππικὸν· ἐς μοίρας οὖν τρεῖς ἔνεμον οἱ ἡγεμόνες τὸν στρατὸν, καὶ ἄλλος ἐξ αὐτῶν ἐπὶ ἄλλην ἐτέτακτο ἰέναι χώραν· - - τοῖς δὲ ἐς Παιονίαν ἰοῦσι Βρέννος ἦσαν καὶ Ἀκιχώριος ἄρχοντες. "Quum itaque exteris nationibus ite-,, rum bellum inferre Celtæ decreviſſent, iis maxime inci-,, tantibus, qui ſub Cambaule ante expeditionem fecerant,,, & inexplebilis cupiditatis jam guſtata dulcedine, rapinas,, &

(b) Libr. X. p. 843.

„ lucra quam maxime appetebant, ingens peditum manus, „ neque multo minor equitum numerus in unum convenerunt. Diviso igitur a ducibus in tres partes exercitu, „ diversa singulis regio assignata est, in quam quilibet „ ex illis manum suam duceret. - - Illis, qui in Pæoniam „ proficiscebantur, Brennus & Acichorius præfuerunt. „ Jam vero cum exercitum a Brenno in Græciam ductum JUSTINUS (c) ab illis Gallis derivet, qui priscis jam temporibus trans Rhenum migraverint, & per Illyricos sinus in Pannoniam usque penetraverint; Brenni vero manus secundum Pausaniam ex copiis Cambaulis magnam partem constiterit, inferimus, ipsum Cambaulis exercitum non ex Gallia primisque Celtarum sedibus, sed ex Celticis trans Rhenum coloniis egressum fuisse. Celticæ hujus coloniæ, a Cambaule usque ad fines Thraciæ ductæ, mentionem quoque facere videtur JUSTINUS. (d) "Portio (Gallorum) in Pannonia consedit: ibi domitis „ Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella „ gesserunt. „ Gallicas in hac expeditione gentes, silentibus historicis, eadem ratione, qua Sigovesianæ coloniæ socios, investigabimus, & quos ex Gallis in vicinis Pannoniæ regionibus ad Thraciam usque sedes fixisse reperimus, huc referendos esse, non temere credemus. Ex hac causa Tectosagos, Scordiscos & Tauriscos sub signis Cambaulis fuisse conjicimus. De singulis agendum est ordine.

§. LX.

Tectosagi. De Tectosagis & Scordiscis ita JUSTINUS: (e) "Galli bello adversus Delphos infeliciter gesto, amisso „ Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fuge-

(c) Lib. XXIV. cap. 4. & 6.
(d) Lib. XXIV. cap. 4.
(e) Lib. XXXII. cap. 3.

fugerant. Inde per eadem vestigia, qua venerant, anti-„ quam patriam repetivere. Ex his manus quædam in „ confluente Danubii & Sabi consedit, Scordiscosque se „ appellari voluit. Tectosagi autem cum in antiquam „ patriam Tolosam venissent, comprehensique pestifera „ lue essent, non prius sanitatem recuperavere, quam „ aruspicum responsis moniti aurum argentumque, bellis „ sacrilegiisque quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent. „ Quod omne magno post tempore Cæpio Romanus Consul, „ abstulit. - - Ex gente Tectosagorum non mediocris „ populus prædæ dulcedine Illyricum repetivit, spolia-„ tisque Istris in Pannonia consedit. „ Locus hic vera falsis commiscet. Tectosagos in Pannonia, Scordiscos ad confluentes Danubii & Savi in ea consedisse, lubentes concedimus: utrosque vero, vel alterutros, ex Brenniani exercitus reliquiis eo se recepisse negamus. Inter veteres enim constat scriptores, ex Brenniana illa in Græciam expeditione vel paucos admodum, vel nullum omnino salvum evasisse. PAUSANIAS (f) μηδένα σφῶν οἴκαδε ἀποσωθῆναι, "ne unum quidem ex illis incolumem domum „ rediisse „ refert. Strabo, Posidonii auctoritate nisus, eadem ex causa Tectosagorum in patriam reditum, & quod aurum sacrilegiis quæsitum in lacum Tolosanum demerserint, inter fabulas refert. (g) Imo ipse JUSTINUS (h) totum Brenni exercitum in Græcia ad unum interiisse scribit: "Quo pacto evenit, ut nemo „ ex tanto exercitu, qui paulo ante fiducia virium adver-„ sus deos contenderat, vel ad memoriam tantæ cladis „ superesset. „ Si vera sunt, quæ Justinus hoc loco narrat, quomodo ex Brenni exercitu, Delphicaque ex-

pedi-

(f) Lib. X. pag. 856.
(g) Lib. IV. p. 287.
(h) Lib. XXIV. cap. 8.

peditione non mediocris Tectoſagorum populus in Pannoniam perveniſſe; quomodo non minor Tectoſagorum manus ex ea expeditione in Galliam rediiſſe; quomodo denique Scordiſci, repetita patria, ad Danubium conſediſſe poſſunt cenſeri. Quodſi ergo Juſtino de ſedibus Tectoſagorum in Pannonia credendum, hos certe in eas, non ex Græcia & Brenni exercitu, ſed aliunde fuiſſe deductos credamus neceſſe eſt; quod a Cambaule, ex Germania Thraciam verſus proficiſcente, facillime factum. Tectoſagorum Coloniam in Germania fuiſſe, ad §. LVI. docui, videturque Cambaules, cum iter ſuum ad Thraciam Græciamque perduxiſſet, progredique jam vereretur ulterius, exercitum ſuum in illis partibus a Pannonia usque ad Thraciam collocaſſe, Tectoſagisque ſuis in Pannonia ſedes aſſignaſſe: ex quibus hi, paulo poſt iterum egreſſi, magna manu in Aſiam, uti mox exponemus, tranſierunt.

§. LXI.

Scordiſci. Scordiſcos ex eadem ratione, qua Tectoſagos, non inter reliquias Brenniani exercitus, ſed inter coloniæ Cambaulis ſocios referimus; quanquam & eos reliquiis illis ATHENÆUS adſcribat. Κορδίςαι enim, de quibus hic loquitur, (i) iidem ſunt, quos alii Scordiſcos vel Scordiſcas appellant. (k) Ita autem Athenæus: Τῶν δὲ Γαλατῶν οἱ Κορδιςαὶ καλύμενοι χρυσὸν μὲν οὐκ εἰσάγυσιν εἰς τὴν αὐτῶν χώραν· ληϊζόμενοι δὲ τὴν ἀλλοτρίαν καὶ ἀδικῦντες ὐ παραλείπυσι· τὸ δ' ἔθνος αὐτῶν ἐςι μὲν λείψανον τῶν μετὰ Βρέννυ ςρατευσαμένων ἐπὶ τὸ Δελφικὸν μαντεῖον Γαλατῶν. Βαθανάτιος δέ τις ἡγεμὼν αὐτὺς διῴκισεν ἐπὶ τὺς περὶ τὸν Ἴςρον τόπυς, ἀφ' ἧς καὶ τὴν ὁδὸν, δι' ἧς ἐνόςησαν Βαθανατίαν καλῦσι, καὶ τὺς ἀπογόνυς τὺς ἐκείνυ Βαθανάτυς ἔτι καὶ νῦν προσαγορεύυσι. "E Gallis, qui Cordiſtæ vocantur, „in ſuam regionem aurum non admittunt, verum tamen aliena

(i) Lib. VI. cap. 5. p. 234. (k) STRABO Lib. VII. p. 454.

aliena populari & injuriis afficere non prætermittunt.,, Sunt autem gens ista reliquiæ Gallorum, qui Brenni du-,, ctu Delphicum armis tentarunt. Superstites illos in agris,, vicinis Istro collocavit Bathanatius quidam eorum dux,,, a quo viam, qua reversi sunt, Bathanatiam, & qui ab,, eo originem ducunt, Bathanatos hodieque appellant.,, Gallicam genti originem JUSTINUS loco ad §. præcedentem allegato assignat, (l) idemque jam ad §. XLVI. adstructum. Sedes eorum sunt eædem cum illis, in quas suos Celtas Cambaulem duxisse, Pausanias refert. Late siquidem illi a confluentibus Istri & Savi fluvii inter Illyrici, Pæoniæ & Thraciæ fines coluerunt. STRABO (m) de illis: ᾤκησαν δ' οὗτοι παρὰ τὸν Ἴστρον διῃρημένοι δίχα, οἱ μὲν μεγάλοι Σκορδίσκοι καλούμενοι, οἱ δὲ μικροί· οἱ μὲν μεταξὺ δυοῖν ποταμῶν οἰκοῦντες ἐμβαλλόντων εἰς τὸν Ἴστρον, τοῦ τε Νοάρου (n) τοῦ παρὰ τὴν Σεγεστικὴν ῥέοντος, καὶ τοῦ Μάρτου, τινὲς δὲ Βάργον φασίν· οἱ δὲ μικροὶ τούτου πέραν συνάπτοντες Τριβαλλοῖς καὶ Μυσοῖς· εἶχον δὲ καὶ τῶν νήσων τινὰς οἱ Σκορδίσκοι· ἐπὶ τοσοῦτον δ' ηὐξήθησαν, ὥστε καὶ μέχρι τῶν Ἰλλυρικῶν καὶ τῶν Παιονικῶν καὶ τῶν Θρακίων προῆλθον ὀρῶν· κατέχον οὖν καὶ τὰς νήσους τὰς ἐν τῷ Ἴστρῳ τὰς πλείους· ἦσαν δὲ καὶ πόλεις αὐτοῖς Ἑόρτα καὶ Καπέδουνον. Μετὰ δὲ τὴν τῶν Σκορδίσκων παρὰ μὲν τὸν Ἴστρον ἡ τῶν Τριβαλλῶν καὶ Μυσῶν ἐστιν. "Ad Istrum habitavere Scor-,, disci, in duas divisi partes, aliique majores, alteri mi-,, nores vocabantur. Illi inter duos amnes, in Istrum in-,, fluentes, Noarum, (n) qui præter Segesticam fertur, &,, Martum sive, ut alii vocant, Bargum coluere: hi paulo,, ultra eum, Triballis & Mysis confines: habuerunt &,, insulas quasdam Scordisci, & eo virium increverunt, ut,, etiam

(l) Lib. XXXII. cap. 3. (m) Lib. VII. p. 489. sq.

(n) STRABONEM hic per fluvium Noarum Savum intelligere, patet ex Libr. VII. p. 482. ubi: Κατὰ τὴν Σεγεστικὴν ἤδη ὁ Νόαρος πλωτὸς προσλαβὼν τὸν διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥέοντα ἐκ τοῦ Ἀλβίου ὄρους Καλάπιν, συμβάλλει τῷ Δανουβίῳ κατὰ τοὺς Σκορδίσκους. "Apud Segesticam Noarus jam na-,, vigabilis hausto Calapi amne ex Albio monte per Japodes delaben-,, te, in Danubium juxta Scordiscos exit.,, Addatur JUSTINUS Libr. XXXII. cap. 3.

„ etiam uſque ad Illyriorum, Pæonum, Thracumque fi-„ nes progrederentur: quin & pleraſque in Iſtro inſulas „ obtinuerunt: urbes eorum fuerunt Heorta & Capedu-„ num. Poſt Scordiſcos juxta Iſtrum Triballi ſunt & Myſi. „ Quin in ipſum quoque Illyricum & Thraciam penetrarunt. Illyriis hinc eos & Thracibus permixtos fuiſſe, retulit STRABO: (o) Ποταμȣ̃ διείργοντος τȣ̃ Παρίσȣ ῥέοντος ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἐπὶ τὸν Ἴςρον κατὰ τȣ̀ς Σκορδίσκȣς καλȣμένȣς Γαλάτας· καὶ γὰρ ȣ̃τοι τοῖς Ἰλλυρικοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς Θρᾳκίοις ᾤκησαν ἀναμὶξ. “Amne diſtinguente Pa-„ riſo, qui a montibus in Iſtrum defluit per Scordiſcos Gal-„ los. Hi enim permixti Illyriis & Thracibus habitabant. „ Imo FLORUS (p) plane Thraces appellat: “Sæviſſimi „ omnium Thracum Scordiſci fuerunt. „ LIVIUS (q) in Thracia eos habitaſſe tradit: “C. Porcius Conſul in Thra-„ cia male adverſus Scordiſcos pugnavit. „ Item: “Livius „ Druſus Conſul adverſus Scordiſcos, gentem a Gallis „ oriundam, in Thracia feliciter pugnavit; magnumque „ honorem tulit. „ Victi dein a Romanis A. V. C. 641. &, quod ex eodem Livii loco patet, a Livio Druſo Conſule, magna ſtrage affecti in inſulas Iſtri ſe receperunt. STRABO: (r) Οἱ Αὐταριᾶται κατελύθησαν ὑπὸ Σκορδίσκων πρότερον, ὕςερον δ᾽ ὑπὸ Ῥωμαίων, οἳ καὶ τȣ̀ς Σκορδίσκȣς αὐτȣ̀ς κατεπολέμησαν πολὺν χρόνον ἰσχύσαντας. “Autariatæ potentia ſua exuti prius a Scordi-„ ſcis, deinde ab ipſis Romanis, qui Scordiſcos etiam „ debellaverunt, diuturna uſos potentia. „ FLORUS de Scordiſcis: (s) “Druſus ulterius egit, & vetuit tranſire „ Danubium. „ APPIANUS: (t) Γένη δὲ ἐςὶν Ἰλλυριῶν, ὡς ἐν τοσῇδε χώρᾳ, πολλὰ καὶ περιώνυμα, ἔτι νῦν χώραν νεμόμενα. πολλῶν Σκορδίσκων καὶ Τριβαλλῶν. οἳ ἐς τοσȣ̃τον ἀλλήλȣς πολέμῳ διέφθειραν, ὡς Τριβαλλῶν ἔτι ὑπόλοιπον ἦν ἐς Γέτας ὑπὲρ Ἴςρον φυγεῖν, - - Σκορδίσκȣς δὲ ἀσθενεςάτȣς ἀπὸ

τȣ̃δε

(o) Libr. VII. p. 482.
(p) Libr. III. c. 4.
(q) Epitom. LXIII.
(r) Libr. VII. p. 489.
(s) Libr. c. 4.
(t) De bellis Illyric. p. 1195.

τῶνδε γενομένους ὑπὸ Ῥωμαίων ὕστερον ὅμοια παθεῖν, καὶ ἐς τὰς νήσους τοῦ αὐτοῦ ποταμοῦ φυγεῖν. "Gentes Illyriorum, ut in tanta regione,, multæ & illustres sunt, & nunc quoque multas Scordi-,, scorum & Triballorum terras inhabitant. Hi tam diu,, inter se bello dimicarunt, quoad Triballorum, qui supe-,, rerant ad Getas supra Istrum fuga transiere. Scordisci,, vero viribus ex eadem causa quam maxime fracti a Ro-,, manis postea eadem passi sunt, & in insulas ejusdem,, fluvii confugerunt.,, Temporis tamen progressu pars eorum inde rursus egressa est, ultimasque Pannoniæ oras insedit. Pergit enim Appianus: σὺν χρόνῳ δέ τινας ἐπανελθεῖν καὶ Παιόνων ἐσχατιαῖς παροικῆσαι· Ὅθεν ἐστὶ καὶ νῦν Σκορδίσκων γένος ἐν Παίοσι. (u) "Procedente vero tempore quidam Scordiscorum regressi,, sunt, & extremas Pannoniæ oras incoluerunt; unde,, nunc quoque inter Pannones Scordiscorum genus est.,, PTOLEMÆUS quoque in inferiore eos Pannonia collocat; (x) PLINIO consentiente, qui eos in fronte montis Claudii in Pannonia sedes habuisse scribit. (y) "Ita,, sane in Pannonia: amnes clari & navigabiles in Danu-,, bium defluunt, Draus e Noricis violentior. Saus ex,, Alpibus Carnicis placidior CXV. M. P. intervallo. - - ,, Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo,, Taurisci.,,

§. LXII.

Tauriscos denique inter populos etiam illos referimus, qui Cambaulem, coloniæ Celticæ ad Thraciam usque ducto- Taurisci.

(u) Per Παίονας Appianum Pannonios intelligere, ex Libro de bell. Illyric. p. 1202. patet. Eum tamen cum multis aliis Græcis hac in re deceptum, diversosque fuisse a Pannonibus Pæones, Dio Cassius, optimus hujus rei testis, Lib. XLIX. p. 413. edocuit.

(x) Lib. II. cap. 16. (y) Lib. III. cap. 25.

ductorem, secuti videntur. Originem suam illos repetere a Gallis, §. LVII. probavimus. Sigovesiana expeditione in Noricum & vicina Aquilejæ loca ducti, cum Cambaule dein finibus suis emigrarunt, & inter Illyricum Thraciamque sedes sibi quæsiverunt. PLINIUS, (z) cum STRABONE (a) collatus, eos non amplius in Norico habitasse refert. Strabo eos in Illyrici & Thraciæ finibus, ut & ad Istrum, collocat. BOJOS, eodem modo ex Gallia cispadana pulsos, ad Istrum se vertisse, & inter Tauriscos sibi sedes delegisse, loco ad §. LII. jam producto, (b) exponit. Bœrebistam Getam, suscepta expeditione trans Istrum, Thraciam primum invasisse, illaque ad Macedoniæ & Illyrici fines vastata, in Celtas Illyriis & Thracibus permixtos perrexisse, Bojosque & Tauriscos totos delevisse refert: (c) Βοιρεβίστας ἀνὴρ Γέτης - - ἤδη καὶ Ῥωμαίοις φοβερὸς ἦν, διαβαίνων ἀδεῶς τὸν Ἴστρον, καὶ τὴν Θρᾴκην λεηλατῶν μέχρι Μακεδονίας καὶ τῆς Ἰλλυρίδος. Τούς τε Κελτοὺς τοὺς ἀναμεμιγμένους τοῖς τε Θρᾳξὶ καὶ τοῖς Ἰλλυριοῖς ἐξεπόρθησε, Βοΐους καὶ ἄρδην ἠφάνισε τοὺς ὑπὸ Κριτασίρῳ, καὶ Ταυρίσκους πρὸς τὴν ἱστορίαν τοῦ ἔθνους. "Bœrebistes natione Geta Romanis „ jam cœpit terrorem infere, Istrum audacter transiens, „ Thraciamque ad Macedoniam usque & Illyricum populans. Idem Celtas Thracibus & Illyriis permixtos „ excidit, Bojos, qui sub Critasiro erant, prorsus delevit, „ ut & Tauriscos ob gentis hujus divitias. „ TAURISCOS haud procul a Scordiscis, de quibus mentio jam facta, collocat. Tauriscosque uti Scordiscos Illyriis & Thracibus mixtos fuisse non obscure significat: (d) οἱ Δακοὶ καταπολεμήσαντες Βοΐους καὶ Ταυρίσκους ἔθνη Κελτικὰ, τὰ ὑπὸ Κριτασίρῳ φάσκοντι εἶναι τὴν χώραν σφέτεραν, καί περ ποταμοῦ διείργοντος τοῦ Παρίσου ῥέοντος ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἐπὶ τὸν Ἴστρον κατὰ τοὺς Σκορδίσκους καλουμένους Γαλάτας· Καὶ γὰρ οὗτοι τοῖς Ἰλλυρικοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς Θρᾳκίοις ᾤκησαν ἀναμίξ· ἀλλ' ἐκείνους μὲν οἱ Δάκοι κατέλυσαν.

(z) Lib. III.
(a) Lib. IV. p. 316. conf. §. 57.
(b) Lib. V. p. 326.
(c) Lib. VII. p. 465.
(d) Pag. 481. sq.

κατέλυσαν. "Hujus regionis partem vastam desertamque„ reddiderunt Daci, debellatis Bojis & Tauriscis Celticis„ gentibus Critasiro subjectis, qui eam sibi vindicabat„ regionem, quanquam amnis distingueret Parisus, qui„ a montibus in Istrum defluit per Scordiscos Gallos. Et-„ enim & hi Illyriis & Thracibus permixti habitarunt.„ Verum illos Daci deleverunt.„ Hæc, quoad Taurisco-rum inter Thracas domicilia, a STRABONE (e) ulterius confirmantur loco, ad §. XLVI. jam prolato. Ab his Tauriscis, vel potius Bojis, qui ex Italia ejecti inter Tauriscos habitarunt, condita videtur esse Bononia, Mœsiæ superioris urbs, quæ in Itinerario Antonini in itinere per ripam a Viminacio Nicomediam occurrit, a Dortico ejusdem Mœsiæ superioris urbe, cujus mentio apud PTOLEMÆUM, (f) M. P. XVII. distans. (g) Bononiam enim, cujus nominis urbs quoque in Gallia Cispadana deprehenditur, nomen Gallicum esse, & a Bojis ducere originem, jam ad §. LVIII. memoravimus.

§. LXIII.

Coloniæ ex Cambaulicis progressæ.

Eo illustrior autem hæc ducta ex Celtis a Cambaule colonia est, quod postquam illa aliquantum temporis inter Illyricum, Thraciam & Istrum fluvium consederat, brevi post alias iterum colonias, & ultra ducenta virorum millia emiserit; quæ partim ipsis suis cladibus & fatali interitu, partim prospero, quo usæ sunt, successu armorum celeberrimum sibi nomen in historia comparaverunt. Scilicet

(e) Lib. VII. p. 454. (f) Lib. III. cap. 9.

(g) Huic aliam adhuc Bononiam, Pannoniæ Inferioris urbem, ex Ptolemæo & Ammiano adjungit Baudrandus, num recte, non exponendi heic locus.

licet Anno II. Olympiadis CXXV. ab V. C. CDLXXIV. P. Sulpicio Savenione & P. Decio Mure Coss. Celtæ a Pannonia usque ad Thraciam diffusi de suscipienda rursus nova expeditione cogitavere: collectoque in eam rem magno exercitu & in tres partes diviso una sub duce Belgio Macedoniam & Illyricum, altera sub Brenno Pæoniam, tertia sub Cerethrio, sive, ut Livius vult, Lomnorio & Lutario regulis Thraciam invadere decreverunt. De æra expeditionis hujus PAUSANIAS: (h) Ἐγένετο δὲ τῶν Κελτῶν στρατεία τε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα καὶ ἡ ἀπώλεια, Ἀναξικράτους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Λάδας Αἰγιεὺς ἐνίκα στάδιον. Τῷ δὲ ἔτει τῷ ἐφεξῆς Δημοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος οἱ δὲ αὖθις ἐς τὴν Ἀσίαν διαβαίνουσιν οἱ Κελτοί. "Contigit autem Celtarum in Græciam expeditio & interitus Anaxicrate summum Athenis magistratum gerente, anno secundo Olympiadis CXXV. quade stadio vicit Ladas Aegiensis. Insequenti vero anno Democle Athenis eundem honorem gerente rursus Celtæ in Asiam transierunt.„ POLYBIUS (i) Ταραντίνων διὰ τὴν εἰς τοὺς πρεσβευτὰς τῶν Ῥωμαίων ἀσέλγειαν, καὶ τὸν διὰ ταῦτα φόβον ἐπισπασαμένων Πύῤῥον τῷ πρότερον ἔτει τῆς τῶν Γαλατῶν ἐφόδου τῶν τε περὶ Δελφοὺς φθαρέντων καὶ περαιωθέντων εἰς τὴν Ἀσίαν. "Cum Tarentini ob contumeliam, qua Romanorum legatos affecerant, ortumque hinc metum Pyrrhum in auxilium vocarent, anno prius quam Galli expeditionem Delphicam susceperunt, acceptaque ibi clade in Asiam transvecti sunt.„ Porro: (k) Ταῦτα δὲ συνέβαινε γίγνεσθαι τῷ τρίτῳ πρότερον ἔτει τῆς Πύῤῥου διαβάσεως εἰς τὴν Ἰταλίαν, πέμπτῳ δὲ τῆς Γαλατῶν περὶ Δελφοὺς διαφθορᾶς. "Gesta sunt hæc triennio ante quam Pyrrhus in Italiam trajiceret, quinque annis ante Delphicam Gallorum cladem.„ Trajecit in Italiam Pyrrhus Valerio Lævino Consule, quod incidit in A. V. C. 473. Secundum

(h) Lib. X. p. 856. sq.
(i) Lib. I. p. 8.
(k) Lib. II. p. 151.

cundum Faſtos Conſulares; cui ſi annum addas; annus expeditionis Gallorum in Græciam V. C. 474. eruitur, qui cum anno II. Olympiadis 125. conſpirat.

Ipſum Celtarum egreſſum paucis deſcribit JUSTINUS: (l) "Hortante dein ſucceſſu (Galli) diviſis agminibus,, alii Græciam, alii Macedoniam, omnia ferro proteren-,, tes petivere. Tantuſque terror Gallici nominis erat, ut,, etiam reges non laceſſiti ultro pacem ingenti pecunia,, mercarentur.,, PAUSANIAS: (m) Ἐς μοίρας οὖν τρεῖς ἔνεμον οἱ ἡγεμόνες τὸν στρατόν· καὶ ἄλλος ἐξ αὐτῶν ἐπὶ ἄλλην ἐτέτακτο ἰέναι χώραν. Ἐπὶ μὲν οὖν Θρᾷκας καὶ τὸ ἔθνος τὸ Τριβαλλῶν ἔμελλε Κερέθριος ἡγήσεσθαι· τοῖς δὲ ἐς Παιονίαν ἰοῦσι Βρέννος ἦσαν καὶ Ἀκιχώριος ἄρχοντες. Βόλγιός τε ἐπὶ Μακεδόνας τε καὶ Ἰλλυριοὺς ἤλαυνε. "Diviſo igitur a ducibus Celtarum in,, tres partes exercitu diverſa ſingulis eſt regio aſſignata,,, in quam quilibet ex illis manum ſuam duceret. In Thra-,, ciam igitur & Triballos copiæ Cerethrio ducendæ ſunt,, traditæ. In Pæoniam contendentibus Brennus & Acicho-,, rius præfuerunt. In Macedonas & Illyrios agmen du-,, xit Bolgius.,,

§. LXIV.

Tripartita hæc Celtarum expeditio tripartitam quoque ſui expoſitionem poſcit. 1°. Celtarum, qui ſub Bolgio, vel ut Juſtinus vocat, Belgio; 2°. Celtarum, qui ſub Brenno; 3°. Celtarum denique, qui ſub Cerethrio militarunt, fata videbimus. Eo magis enim neceſſaria hic eſſe videtur diſtincta ſingularum coloniarum conſideratio, quo magis ex confuſa rei repræſentatione a veteribus etiam hac in parte peccatum eſt; qui cum tres has Celtarum expeditiones non ſatis diſtinguerent, ſoli Brennianæ, tanquam illuſtriori, cæterarum quoque coloniarum fata adſcripſerunt. Belgiana.

(l) Libr. XXIV. c. 4. (m) Libr. X. p. 843.

runt. Plurium hinc Celticarum gentium in ſedes ſuas reditus a JUSTINO (n) & ATHENÆO (o) aliiſque, de quibus STRABO (p) loquitur; hinc celebris ille Celtarum in Aſiam tranſitus a POLYBIO (q) & FLORO (r) ad exercitum, a Brenno ductum, referuntur; cum tamen illa Belgio & ejus exercitui, hæc illis, qui ſub Cerethrio, vel ſecundum Livium, ſub Lomnorio & Lutario in Thraciam averterunt iter, adſcribenda fuiſſent, uti paulo poſt docebitur.

Belgiana ergo Gallorum colonia nobis conſideranda eſt prima; quod omnium prima finita eſt. Fata ejus breviter exponit PAUSANIAS: (s) Βόλγιός τε ἐπὶ Μακεδόνας τε καὶ Ἰλλυριοὺς ἤλασε, καὶ ἐς ἀγῶνα πρὸς Πτολεμαῖον κατέστη, τότε ἔχοντα τὴν Μακεδόνων βασιλείαν -- Καὶ ὁ μὲν αὐτός τε ὁ Πτολεμαῖος ἀπέθανεν ἐν τῇ μάχῃ, καὶ τῶν Μακεδόνων ἐγένετο οὐκ ἐλαχίστη φθορά. Προελθεῖν δὲ ὡς ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα οὐδὲ τότε ἐθάρρησαν οἱ Κελτοὶ, καὶ ὁ δεύτερος οὕτω στόλος ἐπανῆλθεν ἐς τὴν οἰκείαν. "In Macedonas & Illyrios agmen duxit Bolgius, & cum „Ptolemæo, Macedonum tum Rege, congreſſus eſt, & „ipſe quidem Ptolémæus in prœlio cecidit, & cum eo „non minima Macedonici roboris pars deleta eſt: ſed nec „ſic in Græciam vel tunc temporis pergere Celtæ auſi ſunt, „& ita ſecunda jam eorum colonia in ſedes ſua reverſa eſt.„

Colonia Brenniana. Expeditionis Gallorum, cujus dux Brennus, (t) major longe apparatus, ſed longe triſtior etiam caſus & calamitas

(n) Libr. XXXII. c. 3.
(o) Libr. VI c. 5.
(p) Libr. IV. p. 286.
(q) Libr. I. p. 8. & Libr. IV. p. 436.
(r) Libr. II. c. 11.
(s) Libr. X. p. 843. ſq. add. JUSTINUS Libr. XXIV. c. 5.
(t) Brennus ergo hic centum annis poſterior fuit illi, qui Romam cepit: noſtrum hunc natione Prauſum fuiſſe a nonnullis aſſeri, STRABO Libr. IV. p. 286. tradit. Ceterum etymon nominis *Brenni* ſi ſpectes, *Principem* vox illa denotare videtur. *Bre* Celtis ſignificat *ſummus*, *altus*.

lamitas fuit. Mandatum erat Brenno in Pæoniam iter; ſed cum ille Belgium, victis jam Macedonibus, non ulterius progredi, & priſcas Gallorum ſedes repetere cerneret, congregatis centum & quinquaginta peditum & quindecim equitum millibus, (quem Juſtini numerum Pauſanias duobus peditum & quinque millibus equitum auget) univerſam Græciam opprimere, Delphicoſque theſauros diripere conatus eſt. Cum autem ad commune depellendum periculum Græci undique concurrerent, divinique fiducia auxilii Gallis obviam irent, Brennus primum ab eis ad Thermopylas victus, ex accepta clade obſtinatior factus, cum nihilominus, ſuperato monte Oeta, Delphos verſus contenderet, tandem cum toto ibi exercitu ſuo periit, fulminibus etiam ſævæ tempeſtatis in illum & ſocios ejus ingruentibus, uti tradunt ſcriptores. (u)

§. LXV.

Colonia Cerethrii.

Proſperiorem nata fortunam eſt tertia, quæ ex ſedibus a Cambaule occupatis prodiit, Celtarum colonia. Hi a Cerethrio, vel uti ſupra jam monuimus, Lomnorio & Lutario regulis viginti millium numero in Thraciam deducti, Byzantium & vicinas urbes occuparunt, totamque Propontidis oram ſibi vectigalem reddiderunt. Dein anno 3. Olympiadis CXXV. A. V. C. 475. anno poſt Delphicam Brenni cladem, prout POLYBIUS (x) & PAUSANIAS (y) docent, in Aſiam transgreſſi ſunt, latoque Nicomedi, Regi Bithyniæ, contra hoſtes ejus auxilio, magnam regni partem ab eo mercedis loco obtinuerunt, novumque ibi ex ſuo nomine regnum Galatiæ, vel Gallogræciæ erexerunt; quod brevi tempore ita reddiderunt illuſtre,

(u) JUSTINUS Lib. XXIV. cap. 6. 7. 8. PAUSANIAS p. 844. ſqq.
(x) Libr. I. p. 8. Libr. II. p. 151. (y) Libr. X. p. 856. conf. §. LXIII.

illuſtre, ut totam cis Taurum Aſiam illi parere, annuumque ſtipendium pendere cogerent. Totam expeditionem narrat LIVIUS: (z) "Hi Galli, magna hominum vis,
„ ſeu inopia agri, ſeu prædæ ſpe, nullam gentem, per
„ quas ituri eſſent, parem armis rati, Brenno duce in
„ Dardanos pervenerunt: ibi ſeditio orta, & ad viginti
„ millia hominum cum Lomnorio ac Lutario regulis, ſe-
„ ceſſione facta a Brenno, in Thraciam iter averterunt: ubi
„ cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipen-
„ dium imponendo, Byzantium quum perveniſſent, ali-
„ quandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis
„ ejus urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam
„ tranſeundi, audientes ex propinquo, quanta úbertas
„ terræ ejus eſſet, cepit, & Lyſimachia fraude capta,
„ Cherſoneſoque omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontum de-
„ ſcenderunt: ibi vero exiguo diviſis freto cernentibus
„ Aſiam, multo magis animi ad transeundum accenſi, nun-
„ ciosque ad Antipatrum, præfectum ejus oræ, de tranſitu
„ mittebant; quæ res quum lentius ſpe ipſorum trahere-
„ tur, alia rurſus nova inter regulos orta ſeditio eſt:
„ Lomnorius (a) retro, unde venerat, cum majore
„ parte hominum repetit Byzantium. Lutarius, Macedo-
„ nibus per ſpeciem legationis ab Antipatro ad ſpeculan-
„ dum miſſis, duas tectas naves & tres lembos adimit:
„ his alios atque alios dies noctesque transvehendo, intra
„ paucós dies omnes copias trajecit. Haud ita multo poſt
Lomno-

(z) Libr. XXXVIII. c. 16.

(a) Lomnorius idem eſſe videtur, qui POLYBIO Lib. IV. pag. 436. Κομοντόριος: hic tamen a Polybio in Thracia cum Gallis ſubſtitiſſe, & ſtabile ibi regnum fundaſſe memoratur; a Thracibus poſtea everſum. STRABO Lib. XII. p. 850. Lomnorium Livii Leonorium appellat. De Celtica apud Thraces colonia LUCIANUS in Jove Tragœdo, Opp. t. 2. p. 134. intelligendus eſt, ſcribens: Ἐγὼ δὲ ὁ πολύγλωσσός εἰμι, ὥστε καὶ Σκύθαις, καὶ Πέρσαις, καὶ Θρᾳξὶ, καὶ Κελτοῖς συνετὰ κηρύττειν.

Lomnorius, adjuvante Nicomede Bithyniæ Rege, a By- „
zantio transmisit. Coëunt deinde in unum rursus Galli, „
& auxilia Nicomedi dant, adversus Zyboeam, partem „
tenentem Bithyniæ, gerenti bellum: atque eorum maxime „
opera devictus Zybœa est, Bithyniaque omnis in ditio- „
nem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia in „
Asiam processerunt; non plus ex viginti millibus homi- „
num quam decem armata erant; tamen tantum terroris „
omnibus, quæ cis Taurum incolunt, gentibus injece- „
runt, ut quas adissent, quasque non adissent, pariter „
ultimæ propinquis imperio parerent. „ JUSTINUS: (b)
" Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis juventus fuit, „
ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. - - „
Itaque in auxilium a Bithyniæ Rege invocati, regnum „
cum eo parta victoria diviserunt; eamque regionem Gal- „
lograeciam cognominaverunt.

§. LXVI.

Populi, ex quibus hæc colonia constitit, tres præcipue numero fuerunt, Tectosages, Trocmi & Tolistoboji. Tectosages origine Celtas in Cambaulis expeditione fuisse ad §. LIX. & LX. memoravimus. Trocmorum & Tolistobojorum nomen paulo obscurius: & hi posteriores etiam ab antiquis scriptoribus diversimode, a LIVIO (c) Tolistoboji; a PLINIO, (d) FLORO (e) & a PTOLEMÆO (f) Tolistobogi; ab ERATOSTHENE apud Stephanum Tolistobogii; ab ipso STEPHANO BYZANTINO (g) Tolistobii; a STRABONE (h) Tolistobogii

Trocmi. Tolistoboji.

(b) Lib. XXV. cap. 2.
(c) Lib. XXXVIII. cap. 16.
(d) Lib. V. cap. 32.
(e) Lib. II. cap. 11.
(f) Lib. V. cap. 6.
(g) Pag. 712.
(h) Lib. IV. pag. 286. & Lib. XII. pag. 850.

bogii & Toliſtobogi enuntiantur. Gentes utrasque origine Celticas eſſe dubio caret. De Toliſtobojis Stephanus Byzantinus: Τολιστόβιοι ἔθνος Γαλατῶν ἑσπερίων μετοικησάντων ἐκ τῆς Κελτογαλατίας ἐς Βιθυνίαν. Ἐρατοσθένης δ' ἐν πρώτῳ Γαλατικῶν Τολιστοβωγίους αὐτούς φησι. "Toliſtobii gens Galatarum occidentalium, qui „ex Celtogalatia in Bithyniam migravere. Eratoſthenes „autem in primo Galaticorum Toliſtobogios eos vocat.„ De Trocmis & Toliſtobojis STRABO, (i) ubi de Tectoſagibus, Galliæ Narbonenſis populo, loquitur: τούτων (ſc. τῶν Τεκτοσάγων) δ' εἶναι καὶ τοὺς κατέχοντας τὴν Φρυγίαν, τὴν ὅμορον τῇ Καππαδοκίᾳ καὶ τοῖς Παφλαγόσι, - - ἔχομεν τεκμήριον τοὺς ἔτι καὶ νῦν λεγομένους Τεκτοσάγας· τριῶν γὰρ ὄντων ἐθνῶν ἓν ἐξ αὐτῶν τὸ περὶ Ἄγκυραν πόλιν Τεκτοσάγων λέγεται, τὰ δὲ λοιπὰ δύο ἐστὶ Τροκμοὶ καὶ Τολιστοβόγιοι. Τούτους δ' ὅτι μὲν ἐκ τῆς Κελτικῆς ἀπῳκίσθησαν, μηνύει τό, τε πρὸς τοὺς Τεκτοσάγας σύμφυλον· ἐξ ὧν δὲ χωρίων ὡρμήθησαν, οὐκ ἔχομεν φράζειν. Οὐ γὰρ παρειλήφαμεν οἰκοῦντας τινὰς νυνὶ Τρόκμους ἢ Τολιστοβογίους ἐκτὸς τῶν Ἄλπεων, οὔτ' ἐν αὐταῖς, οὔτ' ἐντός· εἰκὸς δ' ἐκλελοιπέναι διὰ τὰς ἀθρόας ἀπαναστάσεις, καθάπερ καὶ ἐπ' ἄλλων συμβαίνει πλειόνων. "Ex his Tectoſagibus vero eſſe eos, qui Phrygiam „Cappadociæ ac Paphlagoniæ finitimam occuparunt: indicio nobis ſunt ei, qui hodie Tectoſages vocantur. Nam „cum tres ſint ibi gentes, una quæ eſt circa Ancyram urbem Tectoſages dicitur, reliquæ Trocmi & Toliſtobogii: „quas ipſas quoque e Gallia migraſſe cognatio cum Tectoſagibus indicat: quibus autem e locis profecti fuerint, „non habeo dicere: non enim accipimus hodie vel intus „vel extra Alpes vel in ipſis etiam Alpibus habitare Trocmos aut Toliſtobogios. Probabile autem ob crebras „migrationes eos defeciſſe, quod & aliis pluribus evenit.„ Nomen ipſum Trocmorum & Toliſtobojorum quod attinet, Strabo quidem illud in loco prolato in ipſa Gallia quærere videtur; alibi (k) tamen clare illud a ducibus derivat, qui Celticas has nationes in Aſiam minorem perduxerunt. Πρὸς νότον, inquit, εἰσὶ τοῖς Παφλαγόσι Γαλάται· τούτων δ'

ἐστὶν

(i) Lib. IV. pag. 286. (k) Lib. XII. pag. 850.

ἐστὶν ἔθνη τρία. δύο μὲν τῶν ἡγεμόνων ἐπώνυμα Τρόκμοι καὶ Τολιστοβῶγοι· τὸ τρίτον δ' ἀπὸ τοῦ ἐν Κελτικῇ ἔθνους Τεκτοσάγες. " Paphlagonibus a meridie ,, Galatæ habitant: horum tres ſunt populi: duo a ducibus ,, nomen habent, Trocmi & Toliſtobogi: tertius a Cel-,, tica gente Tectoſages. ,,

§. LXVII.

Ipſas Gallicæ hujus coloniæ, ſeu regni Galatici in Aſia minore, limites & trium dictorum populorum ſedes deſcribit STRABO: (l) Κατέσχον δὲ τὴν χώραν ταύτην οἱ Γαλάται πλανηθέντες πολὺν χρόνον καὶ καταδραμόντες τὴν ὑπὸ τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι χώραν καὶ τοῖς Βιθυνοῖς, ἕως παρ' ἑκόντων ἔλαβον τὴν νῦν Βιθυνίαν καὶ Γαλλογραικίαν λεγομένην. pag. 851. Ἔχουσι δὲ οἱ μὲν Τρόκμοι τὰ πρὸς τῷ Πόντῳ καὶ τῇ Καππαδοκίᾳ· ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ κράτιστα ὧν νέμονται Γαλάται. - - - Τρόκμοι μὲν δὴ ταῦτ' ἔχουσι τὰ μέρη, Τεκτόσαγες δὲ τὰ πρὸς τῇ μεγάλῃ Φρυγίᾳ τῇ κατὰ τὴν Πεσσινοῦντα καὶ Ὀρκαορίκους. - - Τολιστοβώγιοι δὲ ὅμοροι Βιθυνοῖς εἰσι, καὶ τῇ Ἐπικτήτῳ καλουμένῃ Φρυγίᾳ. " Hanc regionem Galatæ occupaverunt, ,, cum diu vagati incurſionibus Attalicorum regum, Bithy-,, nicorumque ditionem vexaſſent: tandem ab iis volen-,, tibus acceperunt eam terram, quæ nunc Bithynia & Gal-,, lograecia dicitur. - - Trocmi Ponto & Cappadociæ confinia ,, poſſident; optima eorum, quæ habent Galatæ. Tectoſagum ,, regio magnam Phrygiam attingit, qua Peſſinus eſt & Orcao-,, ryci. Toliſtobogii contermini ſunt Bithyniæ & Phrygiæ, ,, quæ Epicteto dicitur. ,, His convenit quoque PTOLEMÆUS: (m) Ἡ Γαλατία, inquit, περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως Βιθυνίᾳ, ἀπὸ δὲ μεσημβρίας Παμφυλίᾳ - - ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν Καππαδοκίας μέρει, - - ἀπὸ δὲ ἄρκτων μέρει τοῦ Πόντου. Ἐντὸς δὲ Παφλαγονίας δυσμικώτεροι μὲν Τολιστόβογοι, - - μεθ' οὓς πρὸς ἀνατολὰς Τεκτόσακες, τούτων δὲ ἀνατολικώτεροι Τρῶκμοι. " Galatia limi-,, tes habet ab occaſu Bithyniam, a meridie Pamphyliam, ,, ab ortu partem Cappadociæ, a ſeptentrione Ponti par-,, tem. Regni Galatiæ limites.

(l) Loc. alleg.

(m) Lib. V. Geogr. p. 140. ſq.

„ tem. Intra Paphlagoniam magis occidentales ſunt To-
„ liſtobogi, poſt hos ad ortum ſolis Tectoſacæ: his etiam
„ magis orientales ſunt Trocmi. „ Paulo aliter tamen
PLINIUS: (n) "Phrygia Troadi ſuperjecta, - - ſepten-
„ trionali ſui parte Galatiæ contermina. - - Simul dicen-
„ dum videtur & de Galatia, quæ ſuperpoſita agros majori
„ ex parte Phrygiæ tenet, caputque quondam ejus Gor-
„ dium. Qui partem eam inſedere, Gallorum Toliſtobogi
„ & Voturi, & Ambitui vocantur; qui Mæoniæ & Paphla-
„ goniæ regionem, Trocmi. Prætenditur Cappadocia a
„ ſeptentrione & ſolis ortu, cujus ultimam partem occu-
„ pavere Tectoſages ac Teutobodiaci. Et gentes quidem
„ hæ. Populi vero ac tetrarchiæ omnes numero CXCV.
„ Oppida Tectoſagum Ancyra, Trocmorum Tavium. To-
„ liſtobogorum Peſinus. - - Flumina ſunt in ea Sanga-
„ rium & Gallus, a quo nomen traxere Matris deum ſa-
„ cerdotes. „ Stipendiarios Aſiæ minoris populos ita à
Gallis inter ſe diviſos fuiſſe Livius ſcribit, ut Trocmi po-
pulos, qui Helleſponto adjacebant, Toliſtoboji Æolos &
Jonas, Tectoſagi mediterraneas Aſiæ gentes ſibi delege-
rint. LIVIUS: (o) "Poſtremo, quum tres eſſent gentes,
„ Toliſtoboji, Trocmi, Tectoſagi, in tres partes, qua
„ cuique populorum ſuorum vectigalis Aſia eſſet, diviſe-
„ runt. Trocmis Helleſponti ora data: Toliſtoboji Æoli-
„ da atque Joniam, Tectoſagi mediterranea Aſiæ ſortiti
„ ſunt, & ſtipendium tota cis Taurum Aſia exigebant. Se-
„ dem autem ipſi circa Halyn flumen ceperunt, tantus-
„ que terror eorum nominis erat, multitudine etiam ma-
„ gna ſobole aucta, ut Syriæ quoque ad poſtremum reges
„ ſtipendium dare non abnuerent. „

§. LXVIII.

(n) Lib. V. cap. 32. (o) Lib. XXXVIII. cap. 16.

§. LXVIII.

Ex hac Celtica, quæ in Thraciam primum & dein in Aſiam minorem tranſiit, colonia partem quoque Celtarum Iſtrum trajeciſſe, & inter Scythas terras quasdam occupaſſe, vero ſimile eſt. Veſtigia enim Celtarum ab Iſtro fluvio usque ad extrema Scythiæ deprehendimus. *Noviodunum* Celtici nominis urbem, ut ad §. LVIII. dixi, ad Iſtrum fluvium in inferiore Mœſia PTOLEMÆUS (p) & Tabula Theodoſiana collocant. *Carrodunum*, Celtici pariter nominis oppidum, in Sarmatia Europæa ad Tyram fluvium commemorat idem PTOLEMÆUS. (q) In his autem partibus Scythas jam coluiſſe, nomenque Scythiæ incepiſſe, PLINIUS (r) in Thracia docet: "Hæmi ex-„ celſitas ſex mille paſſuum ſubitur. Averſa ejus & in„ Iſtrum devexa Mœſi, Getæ, Scythæque - - Ita finit„ Iſter a ſeptentrione: ab eo (ſc. Iſtro) in plenum quidem„ omnes Scytharum ſunt gentes, variæ tamen littori appo-„ ſita tenuere, alias Getæ, Daci Romanis dicti, alias Sar-„ matæ, Græcis Sauromatæ.„ PLUTARCHUS (s) Gallos Celtas ἐπὶ τὸν βόρειον Ὠκεανὸν ὑπερβαλόντας τὰ Ῥιπαῖα ὄρη ῥυῆναι καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Εὐρώπης κατασχεῖν, "Oceani ſeptentrionalis oras ſuperatis „ montibus Riphæis inſediſſe„ refert. Unde PLINIUS (t) etiam partem aliquam Hyperboreorum *Celticam*, hoc eſt, terram a Celtis habitatam, nominat, uti ad §. XXXI. obſervo. Ortum hinc ſine dubio Celtoſcytharum nomen, quo revera Celtas hos, ſive Gallos, qui inter Scythas habitavere, illisque permixti ſunt, denotatos eſſe cenſemus; eadem ratione, qua Celtiberos ex Celtis, inter Iberos habitantibus, & in unam cum eis gentem coaleſcentibus nominis ſui

Celto-Scythæ.

(p) Lib. III. Geogr. cap. 10.
(q) Lib. III. cap. 5. Geogr.
(r) Lib. IV. cap. 11. 12.
(s) Vita Camilli pag. 135.
(t) Lib. VI. cap. 13.

fui originem traxisse ad §. XXX. ostendimus. Antiqui tamen Græcorum Geographi, cum Celticæ & Scythiæ limites ignorarent, in diversas longe regiones etiam Celtoscythas collocarunt, licet veram eorum originem intelligerent. Tota hinc occidentalis Europa illis *Celtica*, orientalis vero tota *Scythia* vocabatur. Mediam inter duas has partem Celto-Scythis assignarunt; cum vera eorum sedes in extremis orientalis Europæ terris quærenda fuisset. Græcorum illorum falsam de Celtoscythis opinionem refert STRABO. (u) Huc pertinet etiam, quod vulgus Romanorum, adventu Cimbrorum territum, de Celtoscythis fabulatum est, referente PLUTARCHO, (x) uti supra jam dictum.

§. LXIX.

Colonia in Decumat. agris.

Ita Sigovesianas Celtarum colonias, & quæ ex his iterum prodierunt, Cambaulianas, quæque rursus ex Cambaulianis progressæ sunt, Belgianam Brennianam & Galatarum Asiæ minoris, Cerethrianam, sed & Celtoscytharum denique colonias ex genuinis historiæ fontibus recensuimus. Superest una, quæ ex Gallis, ævo Augustæo, trans Rhenum in Decumatibus agris consedit, & Marcomannorum, in Bohemiam transgressorum, vacuas regiones occupavit. De hac breviter TACITUS: (y) " Non „ numeraverim, inquit, inter Germaniæ populos quam„ quam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos „ qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque „ Gallorum & inopia audax dubiæ possessionis solum occu„ pavere. „ His tertio Æræ Christ. seculo accesserunt Alemanni, qui eos oppresserunt; Romanis relegatis cis Rhenum, qui ad seculi usque quinti initium Romani Imperii perstitit limes ad ortum. §. LXX.

(u) Lib. XII. pag. 774.
(x) Vita Marii p. 411. conf. §. XX.
(y) De morib. Germ. cap. 29.

§. LXX.

Conclusio operis.

Coloniæ, quas Galli prospero plerumque cum successu ad omnes fere partes Europæ & aliquas Asiæ, tanto numero, per tot secula emiserunt, virtutis Gallorum famam & gloriam, quin & terrorem longe lateque extenderunt per orbem. Ipsi certe Romani in lege illa, qua sacerdotibus & senibus immunitatem belli concesserant, diserte exceperunt, nisi bellum Celticum instaret, uti docet APPIANUS. (z) Bello Gallico oriente, neminem Romanorum immunem fuisse à militia, TULLIUS (a) ipse testatur. Cn. Manlius Consul, cum pulso Antiocho Gallos Asiæ minoris aggrederetur, in Oratione sua ad milites ita loquitur apud LIVIUM: (b) "Non ne præterit, milites, omnium,, quæ Asiam colunt, gentium Gallos fama belli præstare.,, Inter mitissimum genus hominum ferox natio, pervagata,, bello prope orbem terrarum, sedem cepit: procera cor-,, pora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi,, gladii: ad hoc cantus inchoantium prœlium, & ululatus &,, tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam mo-,, rem: horrendus armorum crepitus: omnia de industria,, composita ad terrorem.,, JUSTINUS: (c) "Neque,, reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla,, bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios, quam Gallos,,, confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum,, invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam,, tutari, neque amissam recuperare se posse sine Gallica,, virtute arbitrarentur.,, Geographis ergo & Rerum Celticarum nostri ævi scriptoribus diligenter cavendum, ne omnes

(z) Lib. II. de bell. Civil. pag. 850. (a) In fine Orat. pro M. Fontejo.

(b) Lib. XXXVIII. cap. 17. Et tamen Livium, *Gallici nominis obtrectatorem* vocat PETRUS RAMUS in Libro suo de moribus veterum Gallorum pag. 355

(c) Lib. XXV. cap. 2.

omnes illas Europæ regiones, omnesque populos, in quibus Celtæ verſati, Celticas vel Celtas appellent; quum graviorum ex veteribus ſcriptorum id repugnet ſententiæ: illorum præſertim, qui res Celticas exactius noverunt, Celticaſque colonias deſcripſerunt diligenter. Huc Cæſarem, Strabonem, Plutarchum præ aliis referimus. Magnas illas orbis regiones, in quarum partibus olim Celtæ conſederant, ex novorum colonorum nomine appellare non licet, niſi pulſis prioribus incolis, vel prorſus devictis; quod ſuperiori Italiæ Gallos, & poſtea Longobardos, quin ipſi Galliæ Francos, ſeculorum ſucceſſu, præſtitiſſe novimus. Axiomatis hujus neglectu Arrianus, Pauſanias, Dio Caſſius aliique decepti ſunt, interque Celtas retulerunt Germanos; quod Tectoſages, Bojos, Gothinos, Æſtyos, Celticas ſine dubio gentes, in Germania reperirent, Celticoſque in eis mores, linguamque deprehenderent.

FINIS.



INDEX

INDEX AUCTORUM.

*Signum † confutat, signum * illustrat.*

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.